2.5.338

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

T H E S E S
EX SCRIPTURA SACRA,
THEOLOGIA SCHOLASTICA
ET JURE CANONICO AC CIVILI.

CLEMENTI XI.
PONT. OPT. MAX.

A LAURENTIO LEONIO TUDERTINO

D I C A T Æ.

ET PER TRIDUUM PROPUGNATÆ

In Collegio Seminarii Montisfaliſci,

DATO OMNIBUS ARGUENDI LOCO.



APUD MONTEM-FALISCUM, MDCCIV.

Ex Typographia Seminarii. *Superiorum permiſſu.*

Digitized by Google

dentati coronis tribus redimito triplex uno conatu teſtimonium obſequii perpetui redderem. Vertex ille Pontificius, penes quem ſumma ſacerdotii, ſumma doctrinæ, ſumma legum eſt, ſub inſpectionem SANCTITATIS VESTRÆ ſubjungit, quas defendere niſus ſum, theſes ex Scriptura ſacra, ex Theologia ſcholaſtica, ex jure canonico ac civili. Non minùs audacter quàm imperitè, non minùs imprudenter quàm imparatè & ignavè intuli me in diſcrimen operoſiſſimæ diſputationis. Sed ſacris exercitationibus confugiens in aſylum ſupremi Sacerdotis, Theologicis doctrinis intuens in oraculum ſupremi Doctoris, juris utriuſque ſcientiâ veniens in ſinum ſupremi Judicis, audeo, BEATISSIME PATER, patrocinium CLEMENTIÆ VESTRÆ obteſtari, appellare fidem, benignitatem, & benevolentiam implorare: Ad id excitat me ALBESCENTIS STELLÆ fulgor, quo TRIMONTIUM ALBANUM radians & moderans lumina reliqua, ſacri Tri-

re-

regni luce cuncta luſtrat & complet. In triplici excelſitate triplicem inſpectamus excellentiam Summi Pontificis, Triregnum ejus in Trimontio contemplamur. *Mons Dei*, *Mons pinguis*, *Mons coagulatus* Trimontium illud conſtituit: *Mons Dei*, ob ſummi ſacerdotii dignitatem; *Mons pinguis*, ob ſummam doctrinæ ubertatem; *Mons coagulatus*, ob arctiſſimam legum cuſtodiam. Stemma gentilitium eſt, inſigne Pontificium. Stellam pro teſſera, montéſque habes, BEATISSIME PATER, qui geris vicem Stellæ ortæ ex Jacob: qui ſucceſſiſti vicarius muneri montis magni implentis univerſam terram: qui tenes locum præparati montis domûs Domini in vertice montium: qui viſibilis es ſponſus Eccleſiæ vice Dilecti Canticorum ſalientis in montibus. Stellæ ſplendor, montis ſublimitas, Trimontii amplitudo ſupremi Pontificatûs ſplendorem, ſublimitatem, amplitudinem denotant. Huic ſplendori obſcuritatem meam conſecro, BEATISSIME PATER:

TER:

TER: huic ſublimitati humilitatem meam dedico & addico: huic amplitudini tenuitatem meam devoveo

SANCTITATIS VESTRÆ PEDIBUS

Humillimè provolutus
Laurentius Leonius.

Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur.

Nicolaus Collius Vicarius Generalis.

Imprimatur,

Alexander Mazzinellius Reverendiſſimi Patris Magiſtri S. A. P. Vicarius.

Digitized by Google

Digitized by Google

THESES
EX SACRA SCRIPTURA
EXOTICIS GENTIUM MONUMENTIS COMPROBATÆ ET DIGESTÆ ORDINE TEMPORUM.

Quidquid de ordine temporum tranſactorum indicat ea quæ appellatur Hiſtoria, plurimùm nos adjuvat ad Sanctos Libros intelligendos, etiamſi præter Eccleſiam puerili eruditione diſcatur. S. Aug. lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 28.

I.

D*Eus qui fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt... fecit ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum.* Act. XVII. 24. 26. Adam eſt unus ille homo, ex quo humanum genus univerſum propagatum eſt: quia *factus eſt primus homo Adam in animam viventem . . . primus homo de terra terrenus.* 1. Cor. XV. 45. 47. Hæc primi hominis for-

matio de limo terræ, quam divinus Moſes fusè deſcribit in Sacra Geneſi, non latuit Gentiles. *Ipſum certè corpus hoc noſtrum quod de limo figulatum eſt, etiam ad fabulas Nationum veritas tranſmiſit;* ait Tertullianus lib. de Carne Chriſti, cap. 7. *Adanus terræ cœlique filius* his in fabulis celebratus eſt, prodente Stephano Byzantio in ΑΔΑΝΑ: quòd nempè Græci, carentes vocibus exeuntibus in M, dixerint ΑΔΑΝ pro ΑΔΑΜ, & terminatione additâ ΑΔΑΝΟΣ. In antiquitatibus Chaldæorum primus homo vocatur ALORUS ab Hebraicis vocibus אל הורה *Al-bora*, quæ ſignificant *Non genitricem*, ſive eum qui fuit ſine genitrice. Ut ab Adamo, ita ab Aloro reperiuntur uſque ad diluvium generationes decem: ideóque Adamus ſcripturæ ſacræ eſt antiquitatum Chaldaicarum Alorus. Hinc vaniſſimus eſt auctor ſyſtematis Præadamitarum contendens ex his antiquitatibus fuiſſe homines ante Adamum. Revolutiones enim annorum quas in immenſum imaginata eſt Chaldaica aſtrologia, nullum Præadamitis locum relinquunt; cùm initium ducant ab Aloro. De cœtero Chaldæi & quotquot laxiſſimis temporum ſupputationibus declinant à ſacris ſcripturis, *ridendi potiùs quàm refellendi ſunt, qui de ſpatio temporum tam diverſa, & huic exploratæ veritati tam contraria perſuadere conantur*. S. Aug. lib. 18. de Civit. Dei, cap. 40.

I I.

Liber generationis Adam deſcriptus capite quinto Geneſis nihil continet incredibile circa Patriarcharum longævitatem; de qua etiam varii auctores profani teſtes perhibentur à Joſepho lib. 1. Antiq. Judaic. cap. 4. Et apud Euſebium lib.

lib. 9. Præpar. Evang. cap. 13. Hebræorum & Græcorum diſcrepantia in annis ab Adamo ad Abrahamum uſque numerandis non tenet nos ſuſpenſos de veritate textûs Hebraici. Rectè enim fieri nullo modo dubitamus, *ut cùm diverſum aliquid in utriſque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum geſtarum utrumque eſſe non poteſt verum, ei linguæ potius credatur, unde eſt in aliam per interpretes facta translatio*: ut ait S. Auguſtinus lib. 15. de Civitate Dei, cap. 13. Qui textum Hebræo-Samaritanum adjungunt ad Græcorum rationes, hærent in numeris ejus mendoſis, & de puris ac emendatis, depravatè & corruptè judicant. Inſtabilitas codicum hujus textûs quam circa annos à Semo uſque ad Abrahamum elapſos obſervat S. Epiphanius hæreſi 55. infirmat argumentum quod inde conficitur pro Græcis. Traditio quâ veteres Samaritani apud eundem Epiphanium tenent Melchiſedechum eſſe Semum, indicio eſt veteres eorum codices non diſcrepaſſe ab hodierno Judæorum textu, ad cujus calculos traditionem hanc revocat D. Hieronymus Epiſt. 126. ad Evagrium, & lib. Traditionum Hebraicarum in Geneſim. Refert ibidem Sanctus ille Doctor ſe reperiſſe *& in Hebræis & Samaritanorum libris*, quod de annis Mathuſalæ & Lamechi exſcribit adversùs Græcos, ut infringat hâc in re codicum eorum auctoritatem. Inde corrigenda ſunt hodierna Samaritanorum exemplaria quæ aliter deſcribunt horum duorum Patriarcharum annos, etiam contrà ac in Græcis codicibus legitur. Non ita eſt de annis Adami, Sethi, Enoſi, Cainani, Malaleelis, & Henochi, in quibus numerandis Hebraico textui conſonant, nullis antiquitatum Samariticarum monumentis repugnantibus. Varietas quæ eſt in annis Jaredi, ſexti ab Adamo, pro nihilo putanda eſt

 propter

propter conſonantiam Hebræorum & Græcorum. Nam *in ſexta generatione nuſquam utrique codices diſcrepant*. S. Auguſt. lib. 15. de Civit. Dei cap. 10.

III.

A*Nno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ; & cataractæ cœli apertæ ſunt*. Gen. VII. 11. Secundùm Hebraicam chronologiæ ſacræ veritatem quam tuemur, annus ſexcenteſimus vitæ Noe eſt ab orbe condito milleſimus ſexcenteſimus quinquageſimus ſextus, ante ortum Abrahæ ducenteſimus nonageſimus ſecundus, & ante æram Chriſtianam 2291. In hunc annum egregiè conſpirant & Chaldaicæ & Ægyptiacæ de Diluvio antiquitates. Ex Chaldaicis antiquitatibus, quibus fidem faciunt Beroſus, Abydenus, Alexander Polyhiſtor, Euſebius, Cyrillus Alexandrinus, Georgius Syncellus, conſtat diluvium contigiſſe ΜΗΝΟϹ ΔΑΙϹΙΟΥ ΠΕΜΠΤΗ ΚΑΙ ΔΕΚΑΤΗ *menſis Dæſii quintadecima*. Ex Ægyptiacis verò in quibus per ΥΕΤΙΟΝ ΤΥΦΩΝΑ *pluvioſum Typhona* decantatum à Nonno Ægyptio lib. 1. Dionyſiacorum, verſ. 382. intelligitur Chaldaicum טופנא *Tuphana*, & Arabicum طوفان *Tuphan*, hoc eſt *Diluvium*, & quidem Noeticum; quia *Typhon*, ut ex Sophide vetuſto chronographo tradit Joannes Tzetzes Chiliade 5. ΕΝ ΧΡΟΝΟΙϹ ΗΝ ΟϹΙΡΙΔΟϹ ΤΟΥ ΔΙΟΝΥϹϹΟΥ ΝΩΕ, *In temporibus erat Oſiridis Dionyſii Noe*: habemus Oſiridem ſeu Noemum, cogente Typhone ſeu Diluvio, ingreſſum eſſe in Arcam ΕΒΔΟΜΗ ΕΠΙ ΔΕΚΑ ΜΗΝΟϹ ΑΘΥΡ *Decima-ſeptima menſis Athyr*: ut ferunt Ægyptii apud Plutarchum in libro de Iſide & Oſiride, ubi etiam tradunt Typhonem ſeu Dilu-

vium

vium ΠΡΟΣ ΤΗΝ ΠΑΝΣΕΛΗΝΟΝ *in Plenilunio* inveniſſe ligneam arcam in qua erat Oſiris. Hi characteres poſtulant annum ante æram Chriſtianam 2291. & diem tertiam menſis Junii Juliani proleptici, quâ commiſſum eſt plenilunium medium horis 20. minutis 22. à meridie, calculo ad meridianum Alexandrinum directo, & quâ nectitur decima-ſeptima menſis Dæſii Syro-Macedonum. Ex accurata deſcriptione anni ſexcenteſimi Noë manifeſtum eſt annum primitivum & Patriarchicum fuiſſe ejus formæ quam Thebæis Ægyptiis ceu vetuſtiſſimis omnium mortalium tribuit Diodorus lib. 1. Biblioth. pag. 32. nempe duodecim menſium tricenariorum, & epagomenarum vel quinque in anno communi, vel ſex in anno intercalari, *additis propter curſum ſolarem quinque diebus & quadrante*. S. Auguſt. lib. 15. de Civitate Dei, cap. 14.

I V.

E*T aquæ prævaluerunt nimis ſuper terram: opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cœlo*. Gen. VII. 19. Univerſalitatem Diluvii Noetici quam negare auſus eſt impius auctor ſyſtematis Præadamitarum, certam ponunt præter ſacras paginas variarum Gentium monumenta. *Diluvium Ogygi*, ſeu diluvium חג חוג *Hogbug*, hoc eſt *ambitus orbis*, quod Solinus cap. XI. refert præripuiſſe terris diem *novem & amplius menſibus*, eſt diluvium Noeticum, in quo *aquæ ibant & decreſcebant uſque ad decimum menſem: decimo enim menſe, prima die menſis, apparuerunt cacumina montium*. Gen. VIII. 5. Notata à Varrone tria diſcrimina temporum, quorum *ſecundum à cataclyſmo priore ad Olympiadem*

piadem primam ducitur, deſcribens Cenſorinus in libello de Die Natali, cap. XXI. non immeritò ait de illo intervallo, quòd *ad mille circiter & DC. annos eſſe creditur; à priore ſcilicet cataclyſmo, quem Ogygium dicunt*: quia prima Olympias celebrata eſt intra decimam-ſextam centuriam à diluvio Noetico. Diluvium Deucalionis cujus univerſalitatem plures memorarunt, maximè Ovidius, Lucianus & Manilius, eſt etiam diluvium Noeticum. Noe verò eſt Deucalion, uti docent Philo Judæus, Juſtinus Martyr & Theophilus Antiochenus. Nomen illud eſt originis Hebraicæ à vocibus די כל *Dai-cal*, quæ ſignificant *ſufficientem omnibus, ſufficientem orbi*. Hallucinantur qui Deucalionem referunt ad Moſis tempora. Cecrops qui contigit ætatem Deucalionis, eſt Javan Jonum pater & Japhethi filius. *Qui à Cecrope uſque ad Alexandrum Macedonem colligunt annos mille octingentos viginti octo* apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Stromatum, ſuppeditant nobis inſignem nexum chronologiæ Atticæ cum chronologia ſacrâ expreſsâ ſecundùm veritatem Hebraicam, ſecundum quam ætas Javani eſt hoc pacto ætas Cecropis, ſub quo viſum eſt ΠΟΛΕΙΣ ΚΑΤΑΛΑΒΕΣΘΑΙ *urbes occupari*, ut ſcribit Apollodorus lib. 3. cap. 13. Generalis Gentium diſperſio poſt quam urbes poſt diluvium ædificari & occupari cœperunt, contigit ſub ortum *Phaleg* ita vocati *eo quod in diebus ejus diviſa ſit terra*. Gen. X. 25. Intelligendum eſt enim *ipſum Heber propterea tale nomen impoſuiſſe filio ſuo, ut vocaretur Phalech, quod interpretatur diviſio: quia tunc ei natus eſt, quando per linguas terra diviſa eſt, id eſt, ipſo tempore, ut hoc ſit quod dictum eſt: In diebus ejus diviſa eſt terra*. S. Auguſt. lib. 16. de Civit. Dei, cap. 11.

V

GEnerationes *Sem* quæ rectà ducuntur uſque ad Abrahamum Geneſeos capite undecimo, nullum relinquunt locum Cainano filio Arphaxadi, ſecundum Hebraici textûs veritatem, quam exprimit editio noſtra Vulgata tam capite jam memorato, quam capite decimo ejuſdem libri, & primo libri primi Paralipomenon. Id ipſum elucet ex textu Samaritano, & Chaldæis Targumiſtis, & ex verſionibus Syrâ, Arabicâ & Perſicâ. Verſio quoque LXX. Interpretum quam ſecuti ſunt Theophilus Antiochenus, Julius Africanus, Origenes, Euſebius, S. Epiphanius & S. Hieronymus, omittebat hunc Cainanum; omittit etiam nunc verſionis hujus editio Græco-Latina Romana & Pariſienſis Cap. 1. libri primi Paralipomenon, item translatio Copto-Arabica manuſcripta Cap. 10. libri Geneſis, ubi legitur: *Et Arphaxad genuit Sala*. Hinc jure meritò tenemus cum Cornelio à Lapide, Dionyſio Petavio, Petro Poſſino, aliiſque non paucis dictum Cainanum irrepſiſſe in genealogiam Chriſti ab Luca Evangeliſta ſcriptam. In hac enim genealogia nec S. Irenæus illum numeravit lib. 3. cap. 33. nec Græcum Hypomneſticon Joſephi veteris Scriptoris Chriſtiani: nec antiquiſſimus ille codex Evangeliorum Græco-Latinus, quem hodie ſervat Publica Cantabrigienſis Academiæ Bibliotheca. Hiſtoriam profanam non latuit eadem veritas; cùm Beroſus apud Joſephum lib. 1. Antiquit. Judaic. cap. 8. tradat Abrahamum extitiſſe decimâ poſt diluvium generatione, idémque referat Eupolemus apud Euſebium lib. 9. Præpar. Evang. cap. 17. Itaque Cainan Arphaxadi filius

lius nullo pacto defendi poteſt: Græcique codices in quibus comparet, nullius ſunt ponderis contra Hebraicos; quia *rerum geſtarum fides ab ea lingua repetenda eſt, ex qua interpretatum eſt quod habemus.* S. Auguſt. lib. 16. de Civit. Dei, cap. 14.

VI

Vixitque Thare ſeptuaginta annis, & genuit Abram. Gen. XI. 26. Locus ille ſollicitat non parùm eos qui putant Abramum, ſeu Abrahamum, natum eſſe anno patris ſui Thare centeſimo atque trigeſimo; quam ſententiam neque patiuntur ex antiquiſſimis hiſtoriæ profanæ monumentis characteres chronologici, quibus lumen adhibemus anno diluvii univerſalis. Nulla eſt ratio aſſerendi Aranum, fratrem Abrahami, fuiſſe natu majorem; cùm Jeſcha filia Arani alia fuerit à Sara, quæ nupſit Abrahamo. Hebræis enim contrarium tradentibus opponimus ipſummet Abrahamum dicentem de Sara conjuge ſuâ: *Verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem.* Gen. XX. 12. Id quod obſervans divus Hieronymus libro Traditionum Hebraicarum in Geneſim, non immeritò ait in excuſationem Abrahami, *necdum illo tempore tales nuptias lege prohibitas.* Ut egreſſio Hebræorum de terra Ægypti duravit ad multos annos, quippè quam non plenè terminavit niſi ingreſſus in terram Chanaan; quia *in exitu Iſrael de Ægypto . . . facta eſt Judæa ſanctificatio ejus.* Pſalm. CXIII. 1. 2. Ita Abrahami ex Charris tranſmigratio multorum annorum peregrinatione continuata eſt. *Advena* fuit Abraham *& peregrinus*, donec, mortuâ Sarâ biennio poſt mortem Thare, agrum

emit

Digitized by Google

emit ab Hetæis cum ſpelunca duplici. Gen. XXIII. Tunc enim fixas in terra Chanaan poſſeſſiones habere cœpit, & poſt longam peregrinationem finivit tranſmigrationem è Charris, quâ, *poſtquàm mortuus eſt pater ejus, tranſtulit illum Deus in terram iſtam*; ut ait S. Stephanus in Actis Apoſtolicis cap. VII. v. 4. *Tunc ergo ſecundum narrationem Stephani, in terra illa eſt collocatus: quoniam cœpit ibi eſſe poſſeſſor, poſt mortem ſcilicet patris ſui, qui colligitur ante biennium fuiſſe defunctus.* S. Auguſt. lib. 16. de Civit. Dei, cap. 32.

VII.

T*Eſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex, non irritum facit ad evacuandam promiſſionem.* Gal. III. 16. Illi quadringenti & triginta anni terminati in Hebræorum exitu ex Ægypto non ſunt inchoandi ab eorum ingreſſu in Ægyptum; ſed ab adventu Abrahami in terram Chanaan. *Computantur enim ab anno ſeptuageſimo & quinto Abrahæ, quando ad eum facta eſt prima promiſſio:* ut docet S. Auguſtinus lib. 16. de Civit. Dei, cap. 16. & 24. docent & alii Patres communiter, id ſuadente Apoſtolo, & tradentibus LXX. Interpretibus, Exod. XII. 40. quibus conſonat textus Hebræo-Samaritanus, conſentit Joſephus; & inter ſcriptores profanos Alexander Polyhiſtor apud Euſebium lib. 9. Præpar. Evang. Validiſſimum argumentum quo etiam demonſtratur Iſraelitas non habitaſſe in Ægypto totis quadringentis & triginta annis, imo nec quadringentis quibus eos ibi afflictos fuiſſe quidam exiſtimant, petitur ex eo, quòd Caath filius Levi, jam natus, cùm Jacob, ejuſque

filii venerunt in Ægyptum, Gen. XLVI. 11. vixerit annos tantùm *centum triginta tres*; Amram verò Caathi filius & Moſis pater, annos *centum triginta ſeptem*. Exod. VI. 18. 20. Nam anni Moſis ante egreſſum ex Ægypto numerantur tantùm *octoginta*. Exod. VII. 7. Adhæc *Jocabed filia Levi, quæ nata eſt ei in Ægypto, genuit Amram viro ſuo filios Aaron & Moyſen, & Mariam ſororem eorum*. Num. XXVI. 59. Itaque mater Moſis, quo duce, egreſſi ſunt Hebræi ex Ægypto, erat filia unius è primis qui venerant in Ægyptum. Quod tamen dici non poſſet, ſi hoc intervallum temporis complecteretur tot annos, quot ei tribuunt chronologi parum accurati. Si autem Ægyptiaca Hebræorum afflictio videatur interdum definiri annis quadringentis, eorum verò commoratio annis quadringentis & triginta, id fit, *quoniam iſte numerus in eadem afflictione completus eſt, non quia ibi univerſus peractus eſt*. S. Auguſt. lib. 16. de Civit. cap. 24.

VIII.

QUadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de terra Ægypti, in anno quarto, menſe Zio, (ipſe eſt menſis ſecundus) regni Salomonis ſuper Iſrael, ædificari cœpit domus Domino. 3. Reg. VI. 1. Æram egreſſionis Hebræorum ex Ægypto, quam conjicimus in annum à Diluvio ſeptingenteſimum nonageſimum ſeptimum, ante æram Chriſtianam milleſimum quadringenteſimum nonageſimum quartum, firmat characteriſmus Sabbati, quod Hebræi celebraverunt vigeſimo ſecundo die ſecundi menſi ſui exitûs, ut patet ex capite decimoſexto libri Exodi. Dies ille ſtylo Juliano eſt vigeſimus

Digitized by Google

menſis Maii; quòd Novilunium ſecundi menſis competat in vigeſimum nonum diem menſis Aprilis. Annus abhinc quadringenteſimus & octogeſimus, quo Salomon jecit fundamenta templi Jeroſolymitani; erit hâc ratione milleſimus & quintusdecimus ante æram Chriſtianam. Perfectum eſt illud templum anno undecimo regni Salomonis, adeóque anno ante eandem æram milleſimo octavo: id quod etiam oſtenditur ex Tyriorum, Carthaginienſium & Romanorum antiquitatibus. Nam juxta annales Tyriorum apud Joſephum lib. 1. contra Apionem, templum ædificatum eſt Jeroſolymis duodecimo anno regni Iromi, ante æram Carthaginis centeſimo & vigeſimo quinto. Juxta antiquitates Carthaginienſium apud Solinum *Carthago poſt annos ſeptingentos triginta ſeptem exciditur, quàm fuerat conſtituta.* Denique juxta Faſtos Conſulares Romanorum apud Vellejum Paterculum, libro 1. Hiſtoriarum, cap. 12. *Cnæo Cornelio Lentulo, Lucio Mummio Conſulibus*, ſive anno ante æram Chriſtianam centeſimo quadrageſimo ſexto, *hunc finem habuit Romani imperii Carthago æmula.* Cum hâc chronologiâ non poſſunt admitti anni octoginta regni Salomonis: nec immeritò; quia *dies, quos regnavit Salomon in Jeruſalem ſuper omnem Iſrael, quadraginta anni ſunt*. 3. Reg. XI. 42. Sic ante Salomonem inveniuntur apud Hebræos *pacis tempora prolixiora quàm Solomon habuit, qui quadraginta regnavit annos. Nam ſub eo judice qui appellatus eſt Aod, octoginta anni pacis fuerunt.* S. Auguſtinus lib. 17. de Civitate Dei, cap. 13.

IX

TRecentos & nonaginta dies, quibus *iniquitatem domus Iſrael* portavit Ezechiel ab anno nono Sedeciæ regis Juda, poſitos dicimus pro trecentis & nonaginta annis elapſis à ſchiſmate domus Iſrael facto poſt mortem Salomonis: quia de illis diebus ait Dominus ad laudatum prophetam: *Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.* Ezech. IV. 6. Nexus chronologiæ ſacræ cum profanâ ab ædificatione templi Salomonici uſque ad Chaldaicam ejus conflagrationem omnino poſtulat hunc annorum numerum. Nabuchodonoſor rex Babylonis, qui *anno octavo regni ſui* tranſtulit Babylonem Joachinum ſeu Jechoniam regem Juda, & in locum ejus Sedeciam ſubſtituit, cœpit regnare ex canone mathematico regum Babyloniorum anno æræ Nabonaſſari 144. ante æram Chriſtianam 604. Ab anno octavo regni ejus uſque ad annum ſeptimum Artaxerxis Longimani, ſeu à deportatione Jechoniæ in Babylonem uſque ad autonomiam conceſſam Judæis in perfectam ſolutionem captivitatis Babylonicæ, numerantur ex eodem Canone anni centum quadraginta, qui ſunt *generationes ſeptem* prædictæ à Jeremia, Baruch. VI. 2. Nam una generatio complectitur viginti annos: prout uſurpatur à Tatiano Aſſyrio in Oratione contra Græcos. Facienda per Cyrum Judæorum liberatio juxta vaticinium Iſaiæ non convenit uni Cyro Babylonici regni everſori, ſed partim ipſi, partim ſucceſſoribus, maximè Dario Hyſtaſpis filio, & Artaxerxi Longimano, iſti quidem propter conceſſam autonomiam & facultatem reædificandi Jeruſalem, illi verò propter ratam auctoritatem inſtaurandi

randi templum Jeroſolymitanum quam Cyrus eis dederat. Nec mirum nomen Cyri patronymicè extendi ad ejus poſteros. Namque *in David* intelligitur Roboam ejus nepos, 3. Reg. XII. 16. In Roboam intelligitur *Abiam* ejus filius, Ibid. XV. 6. Chriſtus quoque Davidis nomine exprimitur ab Iſaia, Jeremia, Ezechiele & Oſea: *quia David ille eſt, qui venit ex ſemine David.* S. Auguſt. Serm. 47. de Ovibus, in cap. 34. Ezechielis.

X

S*Eptuaginta Hebdomades abbreviatæ*, quas Daniel vidit *ſuper populum* ſuum, *& ſuper urbem ſanctam* ſuam, *ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio. & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum*, ſunt ſeptuaginta hebdomades annales deciſæ à Deo ſuper populum Judaicum, ſolutum ſervitute Babylonico-Perſica, ſuiſque legibus reſtitutum; ideóque debent colligi ab anno quo Eſdras, obtentâ ab Artaxerxe Longimano autonomiâ, Rempublicam Judaicam inſtauravit; nempe ab anno quarto Olympiadis octogeſimæ, ante æram Chriſti vulgarem quadringenteſimo quinquageſimo ſeptimo, quo juxta accuratam Perſicorum temporum rationem deſiit annus ſeptimus Artaxerxis Longimani. Ejuſmodi Hebdomades habent characteriſmum hebdomadum annalium Judaicarum; quia Sabbatici fuerunt earum anni ſeptimi, ut conſtat ex methodo annorum ſabbaticorum, & ex illis annis ſabbaticis quos habemus notatos in hiſtoria. Intra ſecundam hebdomadam annalem Reipublicæ Judæorum reſtitutæ exiit edictum Artaxerxianum de reædificandis Jeroſolymis; cùm annus

vige-

vigeſimus Artaxerxis Longimani pertineat ad hanc hebdomadam. Hinc evidens eſt hebdomades ſexaginta novem numerari ab hebdomada edicti uſque ad hebdomadam quâ Chriſtus Dux prædictus à Daniele paſſus eſt, ut conſummaretur prævaricatio, & finem acciperet peccatum, & deleretur iniquitas; ut idcircò Angelus dixerit Danieli: *Scito ergo, & animadverte: Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Chriſtum Ducem, hebdomades ſeptem & hebdomades ſexaginta duę erunt*, ſeu hebdomades ſexaginta novem. Nec earum diviſio in ſeptem & ſexaginta duas ſuperflua eſt. Nam templum Jeroſolymitanum cujus gloria ad ſummum pervenit per præſentiam Chriſti Domini, cœpit inſtaurari ab Herode hebdomade annali ſexageſimâ ſecundâ ductâ ab hebdomadâ Edicti: Chriſtus verò, ad quem uſque porriguntur hebdomades ſeptem ſupra ſexaginta duas numeratæ, Paſſione ſuâ obſignavit earum ſeptimam. Ad veritatem ſexaginta novem hebdomadum ductarum ab edicto non requiritur, ut edictum emiſſum ſit hebdomade incipiente, ſed intra hebdomadam, quocumque illius anno prodiverit: ut enim numeretur aliqua hebdomas vel decas annalis in computo per hebdomadas vel decadas facto, ſufficit, ut *poſſit ſciri, qua hebdomade annorum, vel qua decade, tamquam dici poſſit atque definiri intra illos vel illos ſeptem annos, aut intra illos vel illos decem annos . . . atque ideò verum erit, quod ita definitur, ut dicatur intra tot annos erit, quamvis neſciatur, quo anno futurum ſit*. S. Aug. Epiſt. 199. ad Heſychium, num. 16. & 20.

Diſputabuntur, Præſide Adm. Rev. P. Fr. GUILLELMO BONJOUR *Toloſanò Ord. Erem. S. Auguſtini, & in Seminario Montis-Faliſci Divinarum Literarum Profeſs.*

THE-

THESES THEOLOGICÆ
A SACRA SCRIPTURA ET SANCTIS PATRIBUS
DUCTÆ
JUXTA MENTEM
D. THOMÆ AQUINATIS
AD USUM SCHOLÆ ACCOMMODATÆ

DE DEO UNO.

PATRES NOSTRI ANNUNCIAVERUNT NOBIS.
Pſal. 43.

I.

Ejuſdem eſt impietatis, & inſcitiæ Deum negare, & plures invehere.

VAni, inquit Scriptura, ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei: à magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterat Creator eorum videri. Nemo igitur unquam ſui compos dubitare poteſt, quin Deus exiſtat; ſed ſi fortè occurrant aliqui, adeò inſipientes, ut dicant in corde ſuo: Non eſt Deus: multis argumentis convinci poſſunt; iiſque non reconditis modò, & exquiſitis,

ſitis, ſed etiam adeò communibus, ac vulgi judicio aptis, ut de divina exiſtentia dari non poſſit ignorantia invincibilis: Summa delicti eſt nolle agnoſcere, quem ignorare non poſſis: ut loquitur D. Cyprianus. Rerum hunc Auctorem, & Præſidem Deum, Unum eſſe credit fides, demonſtrat ratio: Ut autem ſcias unum eſſe debere, quære quid ſit Deus, non aliter invenies; ſi conſulis Tertullianum.

II.

Eſſentia Dei, in eo maximè poſita ut ſit Ens à ſe, non patitur diſtinctionem ullam rei: nec compoſitionem etiam rationis.

CUm habeamus nomen, Qui eſt, non humanitùs inventum, ſed divinitùs traditum, eo Dei characterem ita exprimi arbitramur, ut probabilis admodùm ea ſit ſententia, quæ eſſentiam Dei in eo maximè ponit, ut ſit Ens à ſe: Non aliud proprium magis Deo, quam eſſe intelligitur, ſecundùm Hilarium. Summa Dei ſimplicitas non patitur attributa à ſe invicem, & à natura diſtingui reali, aut formali, ut vocant, diſcrimine; eam tamen exigit diſtinctionem, quæ à mente noſtra non tamen gratuitò, excogitata, præſtat ut non ſolâ nominum varietate, ſed etiam notione differant. Repetitæ autem illę notiones nunquam menti ſanè cogitanti occurrunt niſi invicem involutæ: quo fit ut nullus compoſitioni etiam rationis pateat locus in Deo. In Deo non dicuntur à nobis eſſe differentiæ, ne ipſum ex his compoſitum aſſeramus. D. Cyrillus.

III.

Deus ſummè perfectus; liber & immutabilis; ſolus infinitus; Immenſus loca omnia ſubſtantia continet, quia complet actione.

OStendam tibi omne bonum, dixit Moyſi Deus, in quo perfectiones omnes vel formaliter, vel eminenter continentur: quare creaturæ omnes cum Deo non ſunt aliquid perfectius, quam Deus ſolus: Audi Auguſtinum: ſi fueris ſine Deo minor eris: ſi fueris cum Deo major Deus non erit, non ex te ille major, ſed tu ſine illo minor. Infinitas adeò eſt illi, propria ut præter ipſum, aliud non ſit infinitum, nec eſſe poſſit. Apud Deum, citra libertatis diſpendium, nulla eſt nec eſſe poteſt mutatio, aut viciſſitudinis adumbratio. Cœlum, & Terram implet immenſus Dominus nullo locorum ſpatio definitus: Intimam autem illius in rebus omnibus præſentiam ex operatione ducimus cum Apoſtolo Athenienſibus prædicante: Non longè eſt ab unoquoque noſtrûm, in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus. Non exigit tamen divina immenſitas, ut ea Deus occupet ſpatia, quæ extrà Mundum diffuſa ſibi noſtra fingit cogitatio.

IV.

Beatus Dei intuitus non eſt opus naturæ, ſed gratiæ: ejus menſura æternitas participata.

OCulus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te, inquit Iſajas; Adeò enim inacceſſa eſt Deitatis ſublimitas, ut nulli naturæ, ſive humanæ

ſive

ſive angelicæ: ſive exiſtenti, ſive poſſibili naturaliter pervius ſit Deus, qui teſte Apoſtolo, lucem habitat inacceſſibilem. Divinæ igitur Majeſtati non ſatis conſulunt, qui ne detrahant Omnipotentiæ, creaturam ſupernaturalem produci poſſe aſſerunt naturaliter capacem, & dignam cui Deitas pateat. Licèt autem è re divinæ ſublimitatis ſit creatam ſupergredi notitiam; ex indulgentia tamen ſuis creaturis intellectualibus ſupernaturaliter adjutis, Deus ſe videndum exhibet, ne juſtâ, & omnibus innatâ beatitudinis expectatione fraudentur. Naturali inſtinctu beati eſſe non vellemus, niſi eſſe poſſemus; ut expendit Auguſtinus. Perennis, & immutabilis viſionis menſura non Tempus, non Ævum, ſed Æternitas participata. Hæc eſt Vita æterna ut cognoſcant te Deum verum.

V

Oculo corporeo repugnat viſio beata: perbrevis ejus uſus concedi poteſt etiam viatori. Sola videri non poteſt ſine perſonis, aut attributis natura divina.

NE ultra objecti ſui fines evagentur oculi ad claram Dei viſionem evehi non poſſunt: Carnis oculis contemplari Deum impoſſibile eſt; quod enim corporis eſt expers in carnis oculos cadere nequit: inquit Cyrillus Hyeroſolimitanus. Perpetua, & non interrupta Dei viſio Patriæ eſt prærogativa; perbrevis tamen illius uſus etiam viatori extraordinariâ lege poteſt divinitùs indulgeri: Imò D. Auguſtinus hoc privilegium Moyſi, & Paulo docet eſſe conceſſum; quorum primum eo ſecernunt à cœteris Prophetis ſacræ paginæ, quod palam Deum viderit non per figuras: Secundus ſe raptum eſſe teſtatur ad tertium Cœlum, & audiiſſe arcana, quæ non licet ho-

homini loqui. Fieri non poteſt ut ſola ſine perſonis aut attributis natura, unum attributum ſine alio, una perſona ſine reliquis videatur. Si Beatus ſolam videret eſſentiam, nondum perfectè expletus, quærere poſſet cum regio Vate: Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam: vel cum Philippo: Oſtende nobis Patrem: Quando tamen, ut ex Chriſti teſtimonio obſervat Auguſtinus, ſive audiamus oſtende nobis Filium, ſive audiamus oſtende nobis Patrem, tantumdem valent; quia neuter ſine altero poteſt oſtendi.

V I.

Nulla eſt aut eſſe poteſt ſpecies creata in beata viſione: abſolutè neceſſarium eſt lumen gloriæ: à quo proximè petitur inæqualitas felicitatis.

A Senſibus avocatus Paulus audivit arcana uerba, quæ non licet homini loqui: Verbum enim in patria auditur, non dicitur: neque enim licet verba proferre, ubi omnis exhauritur facundia. Cum igitur Eſſentia Divina, ſuprema veritas, indeficiens ſplendor, immediatè ſe inſinuet intellectui Beatorum; nedum inutilem, ſed etiam repugnantem cenſemus creatam, interjectam, vicariam ſpeciem, ſive expreſſa, ſive impreſſa dicatur. Non modò figuras, quæ cernuntur excedit Numen, ſed neque mens formare aliquid poteſt, qualis eſt Deus: D.Chryſoſtomus. Mens impar viſioni beatæ corroborari vult diuino auxilio: quod paſſim lucis, ac ſplendoris nomine ſignificatur in Sacra Scriptura: Apud te eſt fons uitæ & in lumine tuo uidebimus lumen. Ejus tamen luminis gloriæ, ita indiſpenſabilis eſt neceſſitas, ut mens indiga interioris ſubſidii, per ſolam extrinſe-

cam Omnipotentiæ aſſiſtentiam actum exercere non poſſit beatæ viſionis. Æqualis non eſt omnium etiam in Cœlis felicitas: nemo tamen in ingenii præſtantia confidat, tota enim viſionis inæqualitas in luminis gloriæ diverſitatem refunditur; quæ diverſitati Charitatis reſpondet, ut quilibet pro laborum merito, non pro ingenii præſtantia, reportet mercedem.

VII.

Deus eſt omniſcius, abſque ullo libertatis humanæ diſpendio: ejus ſcientia, ſemper certa, eſt cauſa rerum.

Rerum omnium certa notitia detrahi non poteſt ſcientiarum Domino; cujus cognitio licèt in divinam eſſentiam, tamquam in objectum primarium, & ſpecificativum feratur, ad omnia tamen, & ſingula creata protenditur: Præterita reſpicit, præſentia inſpicit, futura prænoſcit: *Intellexiſti cogitationes meas de longe, & omnes vias meas prævidiſti*: dicebat regius Pſaltes: Et ſane confiteri eſſe Deum, & negare præſcium futurorum apertiſſima inſania eſt; & qui fortuitorum notitiam eripit Deo, ut hominem faciat liberum, facit ſacrilegum: Auguſtini teſtimonio. Deus fecit Cœlos in intellectu: ſapientiâ fundavit Terram: quare hoc eſt ſpeciale divinæ ſcientiæ privilegium, & dos, quod non ſolùm divinam dirigat voluntatem, ſed etiam opus efficiat: Univerſas creaturas non quia ſunt, ideo novit; ſed ideo ſunt quia novit: inquit Auguſtinus. Scientia autem, quæ in Deo eſt cauſa effectrix rerum, ea eſt, quæ Viſionis appellatur, prout tamen decreto innixa, libera eſt, & approbationis.

VIII

Poſſibilia in ſua eſſentia; futura quæque in decreto intuetur Deus: nec datur Scientia Media.

PRoſpicit Deus de excelſo Sancto ſuo, ut loquitur Propheta: ubi non à rebus ducit notitiam, ſed poſſibilia omnia in ſe, & natura ſua primâ veritate, tamquam in cauſa, & medio prius cognito, intuetur. Sacrilegium eſt aſſerere, quod Deus exeat extra ſe ad aliquid cognoſcendum: teſte Auguſtino. Futura contingentia abſoluta in veritate objectiva, antecedente decretum, videri non poſſunt: videntur autem in decreto actuali, efficaci, & abſoluto, quo Deus ſtatuit extrahere res ex ſtatu meræ poſſibilitatis, & dare illis ſtato tempore exiſtentiam. Prædeſtinatione ea præſcivit Deus, quæ fuerat ipſe facturus: aſſerit Auguſtinus. Contingentia quædam non reipsâ futura, ſed quæ futura erant certâ conditione poſita, quæve futura conditionata dici conſueverunt, certò à Deo cognoſci, ultrò fatemur, ſed in decreto ex parte tantùm objecti conditionato: Quare Scientiam Mediam non admittimus, quâ Deus rimetur ante decretum conſenſum voluntatis, etiam ſub conditione, futurum: In quibuſcumque circumſtantiis conſtituamur, non expectat Deus, ſed confert bonæ voluntatis conſenſum, ut in omnibus cogitationibus, & actionibus ipſe teneat principatum, qui dixit ſe eſſe Principium. B. Proſper.

IX

IX

Divina Voluntas ne quidem cogitatione à volitione diſtincta, libera eſt; ejus objectum adæquatum ſola ſua bonitas: Amore non extenditur ad poſſibilia.

NIhil in Deo eſt, quod ſummam non ſpiret puritatem, & ſimplicitatem: hinc adeò actualis eſt divina Voluntas, ut ne quidem virtualiter à ſuo actu diſtinguatur: adeò pura, ut ſuam unicè bonitatem, tamquam objectum adæquatum reſpiciat: non quod alia non velit, ſed quia omnia ad ſuam refert bonitatem: Omnia propter ſe ipſum operatus eſt Dominus. Deus Charitas eſt: ſed quia ejus Amor eſt infundens, & creans bonitatem; ad ea, quibus ne quidem conferenda eſt exiſtentia, ut ſunt merè poſſibilia, non protenditur. Sacræ litteræ, quæ prædicant, omnia quæcumque voluit Deum feciſſe in Cœlo, & in Terra, plenâ eum, ac neceſſitatis experte libertate in res exteriores aut procreandas, aut procurandas, gaudere demonſtrant: & quia in Deo nihil novitatis ineſſe poteſt actus liber immutabilis, ut ſpectat Deum, Creaturam tantùm immutat: ita ut ſit idem actus neceſſarius, non neceſſariò connotans Creaturas: Præſcriptò tempore novæ procreantur Res, non quia Deus novam voluntatem, quam non habuit tunc habebit, ſed quia id, quod ex æternitate in ejus immutabili præparatum eſt voluntate tunc erit, inquit Auguſtinus.

X.

Sincera in Deo de omnium hominum, ſalute antecedens voluntas: hinc pro omnibus mortuus Chriſtus: omnibus auxilia ad ſalutem ſufficientia præparata.

PEreunt filii perditionis, non quòd ipſis Dei voluntas; ſed quod divinæ ipſi deſunt voluntati. Sinceram enim, antecedentem tamen, quam Deus habet de omnium hominum ſalute voluntatem, etiam poſt lapſum Adæ, non ſolùm docet Apoſtolus, dum ait; Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: ſed etiam probat invictè: Quia unus eſt Deus omnium; Unus eſt Mediator Dei, & hominum. Volens ſiquidem Deus omnes ſalvos eſſe, omnibus liberandis Redemptorem deſtinavit Chriſtum; qui noto ſibi Patris imperio, conſonâ voluntate, obſecutus, ita impoſitas implevit partes, ut pro univerſis, & ſingulis, non exceptis iis etiam, qui à ſalute excidunt, pati voluerit, & mori; ejuſque meritis opportuna, ſufficientia ad ſalutem auxilia, omnibus ſint præparata. Judicabit Orbem terrarum in æquitate: Non partem, ponderat Auguſtinus, quia non partem emit: totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.

XI.

Decreta Dei ab intrinſeco efficacia: Concurſus prævius, & phyſicus.

DOminus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? Divina decreta igitur non ſunt indifferentia,

rentia, ſed ab intrinſeco efficacia: conſenſum noſtrum, etiam præviſum, non expectant, ſed præveniunt: determinationem noſtram non ſupponunt, ſed inferunt infallibiliter. Ita tamen cum libertate decreti uis componitur, ut nec decreto libertas, nec libertati quidquam detrahat immutabilis decreti efficacia; imò potius eam foueat & perficiat. Voluntas tantò eſt liberior, quantò ſanior, & tantò ſanior, quantò diuinæ gratię ſubjectior. Deus non ſolùm creaturis cooperatur, cauſaſque liberas ad bene agendum moralibus motionibus excitat; ſed etiam intimâ uirtute ad omnes, & ſingugulas actiones ita applicat, ut quamuis earum efficentiam non impediat, præueniat tamen, attingens à fine uſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuauiter, ne aut lædat libertatem, aut deformitatem inferat peccati: quare ejuſmodi prædeterminatio eſt glorioſà Deo, utilis nobis, neceſſaria cuilibet Creaturæ.

XII.

In res omnes provida Dei cura: gratuita prædeſtinatio, reprobatio à culpa deſcendens.

DIvinæ providentiæ, quæ in ſui diſpoſitione numquam fallitur, duos teſte Chryſoſtomo habemus magiſtros Creaturam, & Conſcientiam, quorum non ſunt ejuſmodi loquelæ, neque ſermones, ut non audiantur voces eorum, ubi nedum fides, ſed ratio & intimus naturæ ſenſus illi ſuppeditant argumenta: Licet in gubernando homine præcipuè verſetur, particularia tamen, & infima quæque curat, qui portat omnia Verbo virtutis ſuæ. Hic de electione, ad æternam vitam

Au-

Auguſtini eſt ſenſus. Ex inquinata maſſa ab ipſa æternitate quoſdam ſecrevit, quos à communi miſeria ſola gratuita miſericordia Deus voluit liberare, cœteris occulto, & terribili, ſed juſto judicio in ea, quam contraxerant damnatione deſtitutis: ita ut propoſiti illius, & habiti delectûs cauſam aliunde, quàm à ſua benignitate non cœperit, nullis inductus meritis, quæ etiam ex gratia ſua præviderit proditura. Elegit nos ante mundi conſtitutionem ut eſſemus Sancti; non ergo quia futuri eramus, ſed ut eſſemus. Reprobationis cauſa peccatum ab origine contractum, ut illa denegatio eſt gloriæ: peccatum propria voluntate commiſſum, ut eſt inflictio pœnarum.

Digitized by Google

DE DEO TRINO.

NEC PERICULOSIUS ALICUBI ERRATUR, NEC LABORIOSIUS ALIQUID QUÆRITUR, NEC FRUCTUOSIUS ALIQUID INVENITUR.
D. AUGUST.

I.

Perſonarum diſtinctio in unitate Naturæ ſæculorum omnium chriſtiana profeſſio.

TRes ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt. Hæc eſt igitur hujus ineffabilis Myſterii ſumma: ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur; neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes: ita enim perſonarum Trinitas cum unitate naturæ componitur, ut ſingularitas naturæ perſonas non confundat, nec perſonarum diſtinctio conſubſtantialitem impediat. Eſto, ut obſervat Iſidorus Peluſiota, non putaverit Moſes Judæis diſcrimen perſonarum eſſe tradendum, ne differentem etiam naturam in hypoſtaſibus eſſe putantes, in idolatriam laberentur: ſed monarchiæ ab initio dogma diſcentes, paullatim hypoſtaſeon doctrinam perciperent: tamen etiam in veteri teſtamento, cui expreſſa tanti myſterii mentio non eſt commendata, ſua non deſunt teſtimonia veritati: præclara tamen, & invicta argumenta ita ducuntur à novo, ut illius fides, traditionis ſerie ad nos uſque perducta, etiam per Patres qui

Digitized by Google

qui ante Nicœnam Synodum floruerunt, fuerit ſæculorum omnium chriſtiana religioſa profeſſio.

I I.

Naturalis rationis jura excedit, non violat.

NEmo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui Filius revelare voluerit; talis igitur ac tanta eſt divinæ revelationis neceſſitas ad habendam Trinitatis notitiam, ut rationi, ac lumini naturali fide deſtitutis ſit penitùs impervia. Humanæ mentis acies, teſte D. Auguſtino, invalida in tam excellenti luce non figitur, niſi per juſtitiam fidei nutrita vegetetur. Semel etiam per revelationem detecta pluralitas perſonarum in unitate naturæ ad humanæ philoſophiæ canones exigi non poteſt, nec demonſtrativè probari. Quia tamen hoc myſterium ſupergreditur quidem naturæ conatus, ſed rationis leges non violat, Catholicus Theologus cum regio Vate dicere poteſt: Credidi propter quod locutus ſum: ubi enim fides animo inſederit, quærere poteſt à ratione adverſus Hæreticos, Judæos, & Ethnicos defenſionem.

III.

Duæ in divinis proceſſiones immediatè ab intellectu, & voluntate, connotatis relationibus.

APud Eccleſiaſt. Divina Sapientia ex ore Altiſſimi prodiiſſe dicitur: & Chriſtus Dominus apud Joannem Spiritum veritatis à Patre procedere teſtatur: quare negari non poſſunt in divinis duæ proceſſiones immanen-

nentes, quarum unâ producatur Verbum per intellectum, alterâ Spiritus Sanctus per Voluntatem; neuter verò immediatè per naturam divinam, prout ab intellectu, & voluntate virtualiter diſtinguitur. Si enim ab eſſentia immediatè non autem ab ea, ut intelligente, & volente modificantibus relationibus Paternitatis, & Spirationis activæ ducerentur proceſſiones, nulla ſatis apta cauſa ſubeſſe poſſet, cur duæ tantùm eſſent non plures, & Filius diceretur Verbum, & Imago Patris, non item Spiritus Sanctus; quoniam ut ait Cyrillus Alexandrinus, Filius appellatur Verbum, & Sapientia, quoniam ex intellectu immediatè, atque inviſibiliter eſt.

IV.

Æterna Filii productio veri nominis generatio, quia per intellectum.

Veri nominis generationem aliquam in Deo eſſe, non ejuſmodi tamen, qualem in rebus creatis cernimus, ſed multò nobiliorem, ac ſuo magis dignam nomine, quàm certum ex fide, tàm periculoſum ex Patribus modum curioſiùs inveſtigare: Crede genitum eſſe, ne quæras quomodo, monitore Baſilio, & exclamante Iſaja: Generationem ejus quis enarrabit! Temeritatis tamen nota inuri non debet, ubi cauſam quis ediſſerit, cur æterna Filii productio generatio ſit potius, quam Spiritus Sancti proceſſio, ſi rationes planè cogentes tradere non præſumat, ſed ſuadentes tantùm, quæ fidei innixæ veritatem ab hæreticis poſſint vindicare. Docente autem Auguſtino: Verbum eo eſſe Filium, quo Verbum, inter varias rationes, quæ circumferuntur, eam ſatis commodam cenſemus, cur proceſſio Filii ſit gene-

generatio, non item proceſſio Spiritus Sancti, quod Filius procedat per intellectum, proindeque ſimilis Patri ex vi ſuæ proceſſionis, ſecùs verò Spiritus Sanctus.

V

Inter Eſſentiam & Relationes nulla objectiva præciſio: inter Spirationem activam & Paternitatem, aut Filiationem nulla diſtinctio realis.

ESſe relationes quaſdam reales in divinis ipſa baptiſmi forma adſtruit, quam ipſe Chriſtus prodidit in Evangelio. Quoniam verò juxta Athanaſium: Univerſa plenitudo, & integritas Deitatis eſt Pater, & Filius; in notione eſſentiæ ita involuntur relationes, & vice verſa, ut ne dum exulet omnis actualis diſtinctio, quæ prævenit cogitationem, ſed etiam nullus ſit locus præciſioni objectivæ, nec compoſitioni rationis: ne certis limitibus generis, & differentiæ coerceatur ille, cujus magnitudinis non eſt numerus. Generatio paternitati, & filiationi: proceſſio ſpirationi activæ, & paſſivæ præbet fundamentum: at quia ubi relationis oppoſitio non obſtat, ibi in divinis identitas, nullâ inter ſpirationem activam, & paternitatem, ſeu filiationem obviante oppoſitione, nulla quoque admitti debet diſtinctio realis.

V I.

Relationes in divinis nec propriam habent exiſtentiam, nec novam deferunt peculiarem perfectionem.

TAntus eſt ſolus Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus Sanctus, quantus eſt ſimul Pater, & Filius

lius, & Spiritus Sanctus, ait Auguſtinus. At majores tres ſimul videri poſſent, quàm una perſona, ſi communi naturæ per ſingulas perſonarum relativas proprietates nova fieret perfectionis acceſſio:omnis igitur ratio perfecti ſolâ eſſentiâ continetur, docente Auguſtino: Bonitatem & magnitudinem perfectionis in divinis, non relativè ſed ad ſe dici. Cum Deus ſit ipſum exiſtere per eſſentiam, juxta illud Exodi; Ego ſum qui ſum: exiſtentia abſoluta, etiam præciſa conſideratione perſonarum, Deo negari non poteſt; ſed præter hanc unam abſolutam, & communem, tres alias relativas, totidem attributas perſonis, non admittimus. Tam unica eſt, auctore Dyoniſio, perſonarum trium exiſtentia, quam divinitas. Unitum quidem eſt in uniprincipe Trinitate, & commune, ſuperſubſtantialis exiſtentia, ſuperdivina deitas.

VII.

In Divinis perſonis, proprietatibus relativis conſtitutis, præter perſonales tres ſubſtantias, una communis, & abſoluta.

ID ſolùm quod proprium eſt, non commune perſonam conſtituit: quare cum abſolutum omne commune ſit in divinis, & ſola relatio faciat diſtinctionem: non abſolutâ, ſed relativâ proprietate perſonæ in divinis conſtituuntur; eamque proprietatem non originem eſſe cenſemus, ſed relationem, cum nomina Patris, Filii, & Spiritus Sancti in ſacris libris prodita ſonent relationem. Quis non videat iſta vocabula alterius ad alterum ſignificare perſonas: ait Auguſtinus. Subſiſtentiæ tres perſonales totidem attributæ perſonis admitti debent in Deo; Sanctiſſima enim Trinitas numerabilis facta

facta eſt perſonalibus ſubſiſtentiis. At præter iſtas relativas tres aliam abſolutam, & communem, quæ naturam ipſam ſpectet, fateri non veremur, dicente Auguſtino: Omnis res ad ſe ipſam ſubſiſtit: quantò magis Deus.

VIII.

Nomen Patris primæ perſonæ maximè proprium eſt, & decorum. Notio ingeniti poſitivum connotat fundamentum.

PRimæ Perſonæ deſignandæ tria præcipuè adhibita ſunt nomina Patris, Ingeniti, & Principii. Nomen Patris magni ſemper duxit Eccleſia: illudque, à ſemetipſo Deus largitus eſt omnibus, aſſertore Hyeronimo; quare nomen Patris, priùs dicitur de prima Perſona notionaliter reſpectu Filii divini, quam eſſentialiter reſpectu Creaturarum. Flecto genua ad Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis Paternitas in Cœlo, & in Terra nominatur. Notio ingeniti non ſolùm negationem generationis dicit, ſed proceſſionis etiam ab alio: Ingenitum eſt quod nullum principium habet: ait Baſilius: Reſervata Patri, licèt negationem exprimat, poſitivum tamen involuit fundamentum, & connotat; nimirum paternitatem, ut formam hypoſtaticam primò terminantem, ac modificantem naturam divinam.

IX.

Per Verbum, veram Patris imaginem, dicta omnia, & intellecta.

PRæcipua ſecundæ perſonæ tributa nomina ſunt Filius, Imago, Verbum. Verbum autem non externum foras erumpens in tempore; ſed interius cum ipſo, atque in ipſo Patre ſubſiſtens: Eſt Patris imago, quia à Patre originem trahit, non quamcumque, ſed eam, quæ ſimilitudinem afferat: Hæc imago non eſt falſa, quia veritas: non muta, quia Verbum: non mortua, quia Vita, ut ait Ambroſius. Ratio autem imaginis non eſt communis, & eſſentialis in Deo, ita ut etiam Spiritui Sancto conveniat, ſed eſt perſonalis, & propria Filii. Semel locutus Deus, regii Vatis teſtimonio, omnem uno verbo exhauſit eloquentiam: Unum Verbum infinitum eſt ſapientiæ volumen, quia uno Verbo Pater omnia divina, & creata declarat: Procedit ſiquidem Verbum divinum non ſolùm ex notitia eorum omnium, quæ ſunt formaliter in Deo, ſed etiam creaturarum ſaltem poſſibilium: Non enim ſe ipſum integrè perfectèque dixiſſet Pater, ſi aliquid minus, aut amplius eſſet in ejus Verbo, quam in ipſo: ſentit Auguſtinus.

X.

Spiritus Sanctus verus Deus, à Patre Filioque procedens.

NOmina, quibus in ſcripturis Spiritus Sanctus exprimitur, divinitatis notæ, opera quæ illi tribuuntur.

Digitized by Google

tur Spiritum Sanctum verum eſſe Deum ; ejuſdem cum Patre, & Filio dignitatis perſpicuè demonſtrant. Varia Scripturæ teſtimonia, ſed præcipuè duo illa ex Joanne: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet: Cum venerit Paraclitus, quem Ego mittam vobis: ex Patrûm doctrina explanata, evincunt Spiritum Sanctum, non à Patre ſolo, ſed à Patre, & Filio habere originem. Quæ fidei veritas nedum latinos, ſed etiam græcos Patres habet patronos; quorum aut aperta ſunt teſtimonia: aut ſaltem ea, è quibus ultrò religioſum de proceſſione Spiritus Sancti dogma derivatur. Licitum igitur fuit Latinis Scripturæ, & Patribus innixis id nominatim exprimere, factâ ad ſolemennem fidei profeſſionem particulæ, Filioque, acceſſione: cum novam cudi Symboli formam à vetere diſſidentem, non ampliorem ejuſdem explanationem publicâ authoritate factam, Concilia prohibuerint.

X I.

Spiritus Sanctus non diſtingueretur à Filio, ſi ab illo non haberet originem. Pater, & Filius ubi ſpirant Spiritum Sanctum duæ perſonæ, ſed unum principium.

NOn eſt alia diſtinguendæ unius perſonæ, ab altera ratio præter oppoſitionem relativam ab origine derivatam. Hoc ſolùm numerum inſinuant divinæ perſonæ, quod ad invicem ſunt, ait Auguſtinus; quare Spiritus Sanctus idem prorſus foret cum Filio, ſi ab eo non haberet originem: nec ſatis foret, quod diverſa amborum eſſet à Patre proceſſio; neque enim diſparatis, ſed oppoſitis relationibus diſtinguuntur, cum doceat

Digitized by Google

Gregorius Nazianzenus : Differentiam relationis, & habitudinis non quamcumque, ſed quâ invicem ſe reſpiciunt, diverſas perſonas efficere. Spiritus Sanctus procedens etiam ut Amor, non qualiſcumque, ſed mutuus, ex vi ſuæ characteriſticæ proprietatis exigit per ſe procedere à duabus diſtinctis perſonis, nimirum à Patre, & Filio; qui tamen, cum non per eas proprietates ſint principium, quibus ſunt duo, ſed per unam eamdemque ſpirandi vim, in quam conveniunt duæ ſunt perſonæ, ſed unum tantùm Spiritus Sancti principium.

XII.

Miſſio æternam proceſſionem, temporale opus exigit: alia ſenſibilis, alia ſpiritualis.

SCripturæ teſtimonia, quæ mitti à Patre Filium, & ab utroque Spiritum Sanctum dari ſignificant, in divinis ſacras Miſſiones oſtendunt apertè: Quando venit plenitudo temporum, miſit Deus Filium ſuum, inquit Apoſtolus : & Chriſtus Dominus ſe miſſurum Spiritum Sanctum pollicitus eſt olim Apoſtolis : Si autem abjero mittam eum ad vos. Miſſio divina nec ſola eſt æterna unius perſonæ ab altera proceſſio: nec externi tantùm operis effectio, quæ ei perſonæ, quæ mitti dicitur peculiaris, in tempore tribuatur: Sed utrumque complectitur: Hinc ſoli Filius, & Spiritus Sanctus miſſi dicuntur in ſacris libris, non autem Pater, quia non procedit aliunde. Pater nunquam legitur miſſus, obſervat Auguſtinus, quoniam ſolus non habet authorem à quo genitus ſit, aut à

quo

quo procedat. Earum quæ mittuntur perſonarum duplex eſt miſſio, alia externa prodita ſenſibus: altera interior ſoli nota ſpiritui. Priore modo miſſus eſt Filius, ubi carnem ſuſcepit; Spiritus Sanctus, ubi ſub linguarum ſpecie, inſedit Apoſtolis: Secundo modo fit Miſſio, ubi Dei charitas diffundiditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.

Digitized by Google

DE DEO INCARNATO

OMNES HÆRETICÆ PRAVITATIS ERRORES HINC QUIBUSDAM MULTIPLICITER SURREPSERUNT, DUM MAGNUM PIETATIS SACRAMENTUM, NONNULLI AUT NON SICUT EST CREDUNT, AUT OMNINO NON CREDUNT.

D. FULGENTIUS.

I.

Myſterii ſumma: Chriſtus verus Deus, perfectus homo: naturæ diſtinctæ in unitate perſonæ.

VErbum Divinum ejuſdem cum Patre naturę, non ementitam hominis ſpeciem, quâ illuderet oculis, ſed verum, & integrum hominem, non cœleſti delibatum materiâ, ſed ex vera carne, ac verâ conſtantem animâ, aſſumpſit. In qua aſſumptione divina, & humana natura, in Chriſto Domino non affectûs, ſed hypoſtaſeos vinculo, ita convenere, ut factâ etiam unione, nec altera extincta fuerit, aut abſorpta, nec utraque confuſa, aut permiſta, ſed duæ ſemper perſeveraverint, utriuſque naturæ proprietatibus, voluntate præſertim, in unitate perſonæ, integris, & inconfuſis. Hanc Myſterii ſummam à Scriptura, Conciliis, ac ſacris Doctoribus ſumptam in catholica Eccleſia ſæculorum omnium religioſus ſenſus probavit.

II.

Dominica Incarnatio impervia rationi, decora Deo, Mundo commoda, perdito homini neceſſaria.

MEns creata, ſibi relicta, abſconditum à ſæculis myſterium ſuſpicari nequidem poteſt, nedum poſitivè demonſtrare: Tota ratio facti eſt in potentia facientis: fatetur Auguſtinus. Ubi humanam naturam ſuſcepit Deus illuſtrata ſunt divina attributa, amplificata gloria: Pulverem abjectionis noſtræ corpus fecit gloriæ ſuæ: ut loquitur Leo Magnus. Ea autem commoda in univerſum Mundum ſunt importata, ut inſtaurata omnia in Chriſto, quæ in Cœlis, & in Terra ſunt, prædicare potuerit Apoſtolus. Præcipuè tamen Dei Salvatoris indigus erat homo perditus: cum enim nulla creatura expiando crimini par eſſet, quod per Adamum in poſteros eſt propagatum, volens Deus ſibi pro gravitate illatæ injuriæ exactè ſatisfieri, Incarnationis remedium, non ut aptum magis elegit, ſed uti unicè neceſſarium: Frater non redimet: redimet homo, nec dabit Deo placationem ſuam: Ne fratrem quæras, monet Baſilius, qui redimat, ſed eum, qui naturam tuam ſuperat: neque merum hominem, ſed Hominem Deum Jeſum Chriſtum; qui & ſolus poteſt dare propitiationem Deo prò omnibus nobis.

III.

Venit Meſſias in Lege promiſſus, iſque eſt Jeſus Nazarenus.

CUm vetus teſtamentum totum in eo ſit, ut nunciet oraculis, figuris adumbret venturum Meſſiam, illique, ut ait Princeps Apoſtolorum, Prophetæ teſtimonium perhibeant; ex innumeris ferè locis, adversùs Judæorum perfidiam, de Salvatoris adventu, duci poſſunt argumenta: ſed diſerta admodum eſt in rem hanc celebris Patriarchæ Jacob benedictio: Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. Nec minus apertum eſt vaticinium Danielis de abbreviatis ſuper populum ſeptuaginta hebdomadibus, quarum decursâ periodo, futurum erat, ut deleretur iniquitas, adduceretur juſtitia ſempiterna, impleretur viſio, & prophetia, ungeretur Sanctus Sanctorum. Et quia notata tempora, Meſſiæ notæ, Oraculorum exitus in unum Jeſum Nazarenum apprimè conveniunt, quem Chriſtiani colunt, & qui Pontio Pilato in Judæa pro Romanis Præſide, actus eſt in crucem; præter hunc unum in ſalutem hominum miſſum, perfidi tantum eſt animi alium expectare Meſſiam.

I V.

Digitized by Google

IV.

Incarnationis cauſâ efficiens Deus: motiva reparatio hominis: meritoria nulla.

VEre opus Dei eſt Incarnatio: Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud: ejus enim efficiens cauſa alia eſſe non poteſt præter Deum. Hypoſtaticæ unionis gratiam non præceſſerunt Chriſti hominis merita, ſed inde cœperunt: Cum nullis præcedentibus meritis ipſe ſit homo liberator factus eſt hominum: teſtatur Auguſtinus: & quia prius decreta eſt, quàm cujuſque, vel excellentiſſimę creaturæ prævisa ſint opera, non eſt reddita meritis, ſed gratuito conceſsa beneficio: Fuiſſe tamen aliquos, qui circumſtantias quaſdam ex decentia meruerint, non inficiamur. Cum Scriptura, & Patres, aliam non aſſignent rationem, quæ Deum impulerit ad ſuſcipiendam carnem, quàm humani generis reparationem, ita ut venerit Dominus quærere, & ſalvum facere quod perierat; Si homo non periiſſet, Filius hominis non veniſſet: ipſa ſunt verba Auguſtini. Utrum autem nullo extante peccato, vel alio quàm originis, ex vi alterius decreti hominem ſaltem immortalem induiſſet Deus, quia Scripturæ non ſignificant: non divinamus: Quis conſiliarius ejus fuit?

V.

Solus Filius eſt incarnatus: eſto tota Trinitas abſolutè potuerit incarnari: Unum de Trinitate paſſum celebris olim, ſed de voce inter catholicos viros diſceptatio.

TOta Trinitas Incarnationem eſt operata ſolus tamen incarnatus eſt Filius: Forma ſervilis à ſolo Filio accepta rectè creditur, quia divinitatis ejus, & carnis una Perſona eſt non Natura; docet Fulgentius. Cum ipſa tamen per ſe natura communem habeat quemdam abſolutum ſubſiſtendi modum, abſolutâ poteſtate nil prohibet, quin ipſa per ſe Deitas alteri naturę jungi poſſit, ac totæ tres perſonæ per communem ſubſiſtentiam incarnari: Totam Trinitatem eo etiam ſenſu incarnari potuiſſe arbitramur, ut tres Perſonæ totidem individuis naturis jungerentur: vel una natura à tribus perſonis eſſet aſſumpta. In hac propoſitione: Unus de Trinitate eſt paſſus ſolam novitatem, ac jurgii ſementem, averſatus eſt Hormiſda: non deteſtatus eſt falſitatem. Exploratum quantâ inter catholicos viros diſceptatum eſt contentione: ſed lis de nomine, cui cum alii ſanam illigarent interpretationem, alii hæreticum ſenſum ſubeſſe ſuſpicarentur, implacata exorta ſunt jurgia; ſed dilutâ ſuſpicione, perſpectâ innocentiâ, quæ ut nova, ac periculi plena fuit repudiata, communi modò Eccleſiæ conſenſu probatur.

VI.

VI.

Unio Incarnationis arctiſſima eſt, & immediata: hinc idiomatum communicatio: ſervatus in aſſumptione partium hominis ſuus ordo.

OMnium maxima unitas Trinitatis: proxima unio Incarnationis. Ut in Chriſto Domino duæ naturæ in unam eandemque perſonam convenirent nullus interpoſitus eſt medius nexus, qui diſpares naturas devinciret. Verbum carni ſociatum interventu animi, aut mentis ſcripſere non ſemel Patres: Mens cum mente miſcetur ut propinquiori, & conjunctiori, ac per eam carni inter divinitatem, & carnis molem intervenientem: Nazianzenus: Non quod animam ante corpus extitiſſe crediderint, ſed quod indecorum rati anima carentem carnem ſuſcipi, eſto una pars hominis alterâ priùs non ſit ſuſcepta, ſuus tamen ſervari debuerit ordo, ut anima ratio quadantenus fuerit, cur caro aſſumeretur. Arctiſſimæ iſtius conjunctionis conſectarium eſt Idiomatum communicatio, quâ fit, ſuis tamen ſervatis cautionibus, ut quæ uni naturæ propria ſunt, & peculiaria in aliam transferantur, ut humana de Deo, divina de homine prædicentur, quia in utraque natura unus eſt Chriſtus Deus, & Homo: Propter exactam unitionem aſſumptæ carnis, & aſſumentis divinitatis mutuò transferuntur vocabula, ut & humanum ex divino, & divinum ex humano denominetur: Nyſſenus docet.

Digitized by Google

VII.

Integer & verus homo, ſanguis nominatim, ſine propria tamen illius exiſtentia ſuſceptus: ſuſcepti quoque naturales, & inculpati defectus.

VErbum Caro factum eſt: Securæ eſtote caro, & ſanguis, uſurpaſtis & Cœlum, & Regnum Dei in Chriſto: Tertullianus. Non detulit è Cœlo carnem Verbum Dei, ſed genitam ex Virgine noſtræ omnino ſimilem, excepto peccato, ſuſcepit: ſuſcepit item omnia, quæ ad veri, & terreni corporis naturam, integritatem, ac veritatem pertinent, ſanguinem nominatim. Deſtituta tamen fuit in Chriſto propriâ exiſtentiâ humanitas: In Verbo, & non in ſemetipſa exiſtentiam habuiſſe unam, probante ſextâ Synodo, ſcripſit Sophronius. Carnem peccati non aſſumpſit Dominus; aſſumpſit tamen naturales, & innoxias carnis, & animi affectiones. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit; Carnem noſtram cum conditione noſtræ mortalitatis induit; animam quoque noſtram cum infirmitatibus ſine macula humanæ infirmitatis accepit, docet Fulgentius. Hæ tamen animi commotiones, quas melius propaſſiones, cum Hyeronimo dixeris, quàm paſſiones, non ſubitæ, & præcipites, ſed voluntariæ, & ad nutum rationi obſequentes non trahebant invitam, ſed ſequebantur jubentem Voluntatem. Neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus falſus erat humanus affectus: Verùm ille hos motus, certæ diſpenſationis gratiâ, ita cum voluit ſuſcepit animo humano, ut cum voluit factus eſt homo: dicit Auguſtinus.

VIII.

In Chriſto Domino etiam qua homo erat pleniſſima rerum notitia. Triplex ſcientia, Beata, Infuſa, & Acquiſita.

MEritò ut plenum gratiæ, ita & veritatis Chriſtum Dominum prædicat Evangeliſta: Cumulata illi rerum notitia ſtatim à conceptu tributa eſt; & ſi ſapientiâ profeciſſe legatur: Non ſecundùm quod erat, ſed ſecundùm quod apparebat, & novis in dies apud homines ſe prodebat indiciis, intelligi debet; monitore Bernardo. Omnia novit, quæ quovis tempore ſunt futura ille, cui ſubjecta ſunt omnia: & humana natura in eamdem cum divina ſapientia conveniens hypoſtaſim nullam pati poterat ignorantiam: neque enim eſt ignorantiæ defectus, ſed conditio creatæ naturæ ſi Chriſtus, quâ homo, nec Eſſentiam divinam adæquatè comprehendat, nec poſſibilia omnia cognoſcat. Conſtans Catholicorum eſt ſenſus, Chriſtum quâ hominem, ne dum ante reſurrectionem, ſed à primo Incarnationis momento compotem factum beatæ Viſionis. Præter ſcientiam beatam, & infuſam, ſcientiam etiam experimento acquiſitam illi indecoram non arbitramur: favet Apoſtolus dum ait: Cum eſſet Filius Dei didicit ex his, quæ paſſus eſt obedientiam.

IX.

Chriſtus nobis unicè datus: ejus merita infinita: ſatisfactio exacta & cumulata.

VErè nobis unicè datus eſt Chriſtus: ſibi nec gratiam, nec eſſentialem gloriam promeruit: Ange-

lis nec ſaluti fuit, nec remedio: deſertoribus enim interclusâ eſt venia hominibus indulta; & iis qui ſteterunt nec gratiam obtinuit, nec in ſemel obtenta perſeverantiam. Mihi paſſio Domini data eſt, quia alteri dari non potuit: Nunquid Angelo? ſed ille non eguit: Nunquid Diabolo? ſed ille non reſurget. Infinita eſt Chriſti meritorum amplitudo, infinitum amplitudinis pretium, non ex acceptatione Dei extrinſecùs profecta, ſed ex intrinſeca humanæ cum divina natura hypoſtatica unione. Servatis igitur vel rigidioris juſtitię conditionibus: Ubi abundavit delectum, ſuperabundavit & gratia. Ea enim, quam exhibuit in reparationem humani generis, ſatisfactionem, adeò plena fuit, & cumulata, ut offenſionis injuriam non exæquarit modo, ſed etiam exceſſerit. Dicat ei Terra redempta magna iniquitas mea: ſed major eſt redemptio tua; Auguſtinus.

X.

Libertas cum impeccantia, & rigido ſubeundæ mortis præcepto conciliata.

EX conſortio Deitatis factum, ut non expers modò peccati fuerit, ſed ne peccare quidem potuerit Chriſtus: hæc autem felix non peccandi neceſſitas rectè cum libertate conſiſtit. Chriſtus Dominus factus obediens uſque ad mortem non ſimplicem habuit obeundæ mortis paternæ voluntatis ſignificationem, nec integrum illi factum, ut ex multis reparandi hominis rationibus, quam mallet, optaret, ſed verum, & abſolutum, non exploratâ priùs voluntate, nec datâ petendæ diſpenſationis poteſtate, de perferendis ſuppliciis, ac luendâ mor-

morte quoad omnes circumſtantias, mandatum accepit: Sicut præcepit Pater ſic facio: ipſe de ſe teſtatur: & tamen non neceſſarium, ſed ingenuum fuit ejus obſequium, & mortem non neceſſitate adactus, ſed libera ſubjuit voluntate: Oblatus eſt quia ipſe voluit: Nam qui poſſet non mori ſi nollet, proculdubio quia voluit mortuus eſt: ait Auguſtinus. Non quod recuſare poſſet mortem ut imperatam, ſed quod defugere poſſet ſecundùm ſe ſpectatam. Sic libertas eſt obedientiæ addicta, & à peccandi aliena eſt poteſtate.

X I.

Prædeſtinatio Chriſti noſtræ prædeſtinationis exemplar: Triplex in illo gratia: Subſtantialis, Habitualis, & Capitis, de cujus plenitudine omnes accipimus.

CHriſtum non quâ Deus eſt, Deique Filius ex Patre genitus; ſed quâ homo eſt de Virgine natus, prædeſtinatum ut eſſet Filius Dei expreſsè declarat Apoſtolus: Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis: ejus etiam prædeſtinatio, teſte Auguſtino, præclariſſimum eſt lumen prædeſtinationis, & gratiæ, quâ Sancti ad æternam vitam, ſine ullis præviis meritis ordinantur. Chriſtus ipſâ deitate eſt ſanctus, ſed præter hanc ſubſtantialem ſanctitatem, & increatam gratiam, creatam aliam, & infuſam admittere, quæ in eo inſit ad inſtar habitus, & proprietatis ab unione hypoſtatica profluentis, nihil vetat, multa ſuadent. Quia ſuper omnes eſt non ad menſuram datum eſſe huic Spiritum Sanctum: teſtatus

ſtatus eſt Joannes Baptiſta: quare non vulgarem, ſed affluentem gratiam, & excellentem Capitis dignitas in Chriſto Domino flagitabat: ut ab eo in Eccleſiæ corpus exundaret. Ipſum dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam. De illius exuberante plenitudine omnes accipimus: Agnus occiſus dicitur ab origine Mundi, quia Patribus etiam veteris teſtamenti intuitu Chriſti data eſt fides, & gratia.

XII.

Chriſtum qua homo eſt filium adoptivum, non tamen ſervum dicere detrectamus.

NEque Chriſtus Deus adoptivus Virginis eſt Filius, nec Chriſtus homo adoptivus eſt Patris, ſed ex æterno Patre genitus, ſecundùm divinam naturam, & in tempore ſecundùm humanam natus ex Virgine, ùnus & idem eſt Patris, ac Matris Filius naturalis, quia una eſt Dei hominiſque perſona, nec à Deitate unquam fuit Chriſtus alienus: Solo igitur naturæ titulo propriâ ac naturali, non ambiguâ aliquâ, & cum Angelis, & Hominibus communi notione adoptionis jure Filius eſt Dei. Omnes, inquit Gregorius, qui in fide naſcuntur ſuperat, quia non ut cœteros adoptio, ſed natura illum divinitatis exaltat. Chriſtum quâ homo eſt, ſervum dici poſſe cenſemus, quod ſervitus ſequatur naturam; & humanæ naturæ etiam divinitùs ſuſceptæ, ſuaptè ratione conveniat, ut ſerva ſit, & creata. Subjectionem Filii Patri debitam, ait Auguſtinus, ex carnis infirmitate ſuſceptam, etiam nos, quia juſtum eſt, veriſſimè

riſſimè confitemur: in qua eum infirmitate non ſolùm ſubditum, ſed etiam ſervum evidentiſſimè confitemur, ipſo dicente in prophetia ad Patrem: O Domine! Ego ſervus tuus.

Diſputabuntur, Præſide Domino ***ALEXANDRO MAZZINELLIO*** *in Eccleſia Cathedrali Sacriſta, & in Seminario Sacræ Theologiæ Lectore, ac Studiorum Præfecto.*

THE-

Digitized by Google

Digitized by Google

THESES
JURIS PONTIFICII
DISCIPLINAM, MORES, ET DOGMA COMPLEXÆ.

DE CONSTITUTIONIBUS.

APoſtolicas regulas in cunis edocta Eccleſia, ſtabilivit adulta, dum pro Patribus nati ſunt filii, hoc eſt Epiſcopi, Auguſtino interprete: nec æuo apoſtolico expiravit Juriſdictio, quæ in ſucceſſoribus perſeverat. Facem verò præferente Romano Pontifice ad normam totius orbis eduntur canones, pro quo rogatum eſt, ne unquam deficiat fides ſua; quamquam Pontificiam auctoritatem itá coarctare non decet, ut citrà Antiſtitum ſuffragia univerſales leges nequeat indicere, cui pariter ſub Petri nomine dictum eſt, quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Hujus electio trahenda non eſt ad generale concilium, cum benè credita ſit Cardinalibus.

COrruptelæ notam non effugit in Clericos Laicorum conſtitutio, à quibus honorandi ſunt, non judicandi ex D. Gregorio. Cum autem hi ſint, quos

filios

filios liberos appellavit Veritas, adſtipulante Hieronymo, juſto etiam ſæculari ſtatuto eos profitemur exemptos, niſi ei pareant ultrò, quod ne in odium obtinentis retorqueatur privilegium, detrectare non poſſumus. Quanta inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontificem & Regem dignoſcenda eſt differentia, ut probat Innocentius: adeòque paris utrumque poteſtatis quoad legis efficaciam ratio nulla ſuadet, quæ citrà populi conſenſum ratas habet ſanctiones Pontificias, irrita verò Principum placita.

De Conſuetudine.

MUlta legem non habent, ad quæ conſuetudo vitæ humanæ lege omni valentior dat habitum, inquit Seneca: in civilibus quippe rebus conſuetudo pro lege ſuſcipitur, quum deficit lex, nec differt Scripturâ, an ratione conſiſtat, quando & legem ratio commendat. Ubi à divina, vel naturali diſcrepat regulâ longo etiam tempore non præſcribitur, cum tanto ſint graviora delicta, quanto diutiùs infelicem animam detinent alligatam. Quoniam diuturni mores conſenſu utentium comprobati legem imitantur, ſcientiâ Principis non indiget, ut obſtringat Jus non ſcriptum. Actuum frequentiam non ita expoſtulat conſuetudo, ut unico ſucceſſivo nequeat induci.

De Electione.

ECcleſia, cui præſidere debent probati quique ſeniores, non pretio, ſed teſtimonio adepti ex Tertulliano, ad populi clamorem inhibuit meritò electionem Antiſtitum. Ab eligendi autem forma, vel ſtante Triden-

dentini decreto non explodimus compromiſſum, quod uni demandatum, ſi cadat in compromiſſarium, non ſortitur effectum, ne quiſquam ſibi honorem ſumat, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Probatæ ſcientiæ, maturæque ætatis præficiendi ſunt Paſtores, ne ſibi ſoli proſint ſine ſcientia ſcripturarum, ut arguit D. Iſidorus, neve pueri præſint, ut olim querebatur D. Bernardus. Alterius verò Eccleſiæ innodati vinculo poſtulandi ſunt, non eligendi: quod ad Cardinales extendere, nos docet Damianus, juxtà quem Patriarcharum, & Primatum jura Cardinales tranſcendunt.

PLura ſe offerunt ſpectanda in Epiſcopo, quæ à duplici fonte derivantur, juriſdictionis, & ordinis. Si ferit, non ſantificat à non Epiſcopo ſuſcepta conſecratio, atteſtante Magno Leone, neceſſum eſt eos anteire Sacerdotibus divino jure, à quibus diſtinctum ordinem & caracterem ſuſcipiunt, aiente D. Dionyſio, quod Epiſcopo, Sacerdoti, & Diacono virtus ſacratior, habituſque iufunditur. Trium ſuffraganeorum defectus non vitiat conſecrationem Electi, quam validam docent Apoſtoli verba: Admoneo te, ut reſuſcites gratiam, quę tibi data eſt per impoſitionem manuum mearum: adeòque ternarium miniſtrorum numerum præcepti, non ſacramenti neceſſitate aſſerimus neceſſarium.

De Temporibus ordinationum.

EPiſcopum ſacramenti Ordinis miniſtrum docet fides, apertè demoſtnrant Hieronymi verba: Quid exceptâ ordinatione facit Epiſcopus, quod non faciat etiam præsbyter? Alienis ſubditis abſque ordinarii licentiâ manus imponens, collati gradus facultatem

 exer-

exercere nequit impoſterum. Homines diſcunt priùs quàm doceant, & ab illo accipiunt, quod tradunt, ut notat Ambroſius: proindèque unâ die duplicem ſacrum ordinem conferri meritò vetant jura, ut per ſingulos gradus eruditus quiſque ad ſacerdotium hoc pacto perveniat. Infrà ætatem legitimam, aut citrà quatuor tempora mancipatus altari à ſuſcepti ordinis ſuſpenditur exercitio; caractere verò decoratur ſemper, cum poſt baptiſmum etiam ab infantia divinæ militiæ quempiam poſſe dicari jamdiù reſcripſerit Zoſimus Pontifex.

De Præbendis.

Optimam ſibi partem elegerunt Clerici, quorum Dominus ſors eſt, & hæreditas, verèque canunt cum Regio Pſalte: Dominus pars hæreditatis meæ; quando à dominica ſorte nomen ipſum derivant. Cum Dominus ordinaverit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere, illius Eccleſiæ ſuſtentari debent ſtipendiis, in qua divinis obſequiis ſunt mancipati: merum tamen uſum vindicans Clericis in beneficii redditibus, dominico refragatur teſtimonio, quo, ut eos diſcimus operarios, ita mercede dignos, videlicet quoad congruam ſaltem dominos volumus. Cavendus erit beneficiorum cumulus, qui, Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione ſemotà, humanis viribus aptatur incongruè, nec in ſponſa, quæ eſt Eccleſia, laudari debet bigamia, cum in ipſa mundi infantia fuerit culpata, ut monet Juo. Clericorum decori ſtudens Tridentinum, primo inſufficienti ſecundi beneficii adnectendi jus dat Epiſcopis, cujus facultatem prorſus excedunt, ſi duo ſejunctim ſufficientia, quantumvis difformia uni conferant.

De Sepulturis.

UNumquemque in majorum ſepulchris jacere, uti Patriarcharum exitus docet, ita decernunt canones: ſed propriam, aut alienam ſepulturam eligere denegant nemini, quum alienam Magiſter elegit, ut propriam. Inepta voluntas eſt, quæ irreligioſum deſtinat locum ſepulturæ: ſepulchrorum namque uſus ideò proviſus eſt, ex Ambroſio, ut Sanctorum oſſibus noſtra ſociemus, nedum illos Tartarus metuit, nos pœna tangat. Qui conſcientia turpis flagitii priuſquàm prodatur, mori vult, abjiciatur inſepultus, caverant Ethnici: ſed in notorio crimine ſine pœnitentiæ ſigno decedentes ſepulturâ privant canones. De alieno luctu compendium facere, ac de terra conceſſa putredini pretium quærere, nemini licet, longèque poſitam à regula pietatis conſuetudinem, dixit Honorius, quâ decedentibus non priùs permittitur effodi ſepultura, quàm certum Eccleſiæ pretium perſolvatur: laudabilem verò conſuetudinem piâ fidelium devotione inductam omninò convenit obſervari.

De Regularibus.

AD ſepta Monaſterii intrudendus eſt invitus nemo, cum voluntarium militem eligat Deus: verùm cum miranda non ſit in adoleſcentibus profeſſio, dum legitur in parvulis paſſio, ultrò advenienti, vel Juveni patere debet ingreſſus, qui anno probationis ſemper expleto, ſuæque ætatis decimo ſexto velamen ſuſcipiet, ne levitate recuſet, quod antequàm probarit, elegit, ut advertit Bernardus. In tacitam &

ex-

expreſſam profeſſionem diſtinguere, ſicut antiqua cogunt jura, ita recentia non reclamant, cum eò non ſpectet Tridentinum, ne in Monachorum cooptetur numerum, qui completo tyrrocinio diſtinctum à Novitiis anno integro geſſerit habitum.

MOnachum non facit habitus, ſed profeſſio regularis, cujus naturam in triplici, eoque ſolemni voto poſitam docemur, caſtitatis, obedientiæ, paupertatis, quæ in alia, quàm ab Apoſtolica Sede probatâ religione, non ligant emiſſa, nulloque privilegio exornant profitentē. Mundo mortuis Regularibus ſtudioque perfectionis addictis piaculum eſt excōmunicationis mulctatum cenſurâ ſine licentia Pontificis ad laxiorem ordinem convolare: quamquam intuitu melioris frugis ad ſtrictiorem tranſiliunt licitè, tranſitus petitâ veniâ, licet non obtentâ. Quem poſuit Deus, ut diſſipet, & plantet, adeò non limitamus Pontificem, ut ſuper contrahendo conjugio, vel habendâ bonorum proprietate diſpenſare nequeat cum Regulari, quando peſſum iret Chriſtiana Reſpublica Monacho intrà clauſtra detento.

De Jurepatronatus.

LAicum juriſpatronatus capacem nunc lex; primò reddidit gratia Pontificis: cui egeno ſuccurrit Eccleſia, ne quæ omnibus pia eſt mater, donatori evadat ingrata: A triplici namque munificentiæ fonte jus iſtud enaſcitur, fundatione, conſtructione, ac dotatione, quæ omnia copulare minimè ducimus neceſſarium, cum ſingula ſint ſatis. Si plura facta tenent, quæ de jure fieri prohibentur, excommunicatus Eccleſiam conſtruens de

de facto expers non erit juriſpatronatus. Ad hæredes quoſcumque jus iſtud tranſmittitur: ſed ubi inſtituuntur plures, in ſtirpes ſuccedunt, non in capita. Adeò exoſa eſt ad eccleſiaſtica intruſio, ut hoc jure gaudens Clericus inſtitui nequeat, ad præſentandum electo etiam procuratore.

De Immunitate Eccleſiarum.

MUlto minùs venerationis impendit vero Deo, quàm commentitiis diis tribuerunt Ethnici, qui reorum aſylum detrectat Eccleſiam: ad quam confugientem quemcumque, ſive Laicum, ſive Clericum extrahens illinc violenter Papæ reſervatà excommunicatione ex eo ligatur, quod grandis Religionis injuria eſt, ac divinitatis offenſa, arcam communis expugnare perfugii, ut docet Auguſtinus. Aſylo tamen conſtituto augeret numerum impunitas criminum, ni exciperentur caſus omnes, quos Gregorius XIV. enumerat: cujus ſubinde verba debitori non officiunt decocto, aut proditoriè vulnerantem dumtaxat non involvunt.

LAtitudinem habet hæc Immunitas, quæ ad paſſus 40. vel 30. juxta majoris aut minoris Eccleſiæ qualitatem de jure protrahitur. Præter violentam extractionem, ſanguinis quoque cauſam vetat ibidem diſceptari, quando compertum eſt Cypriano, quod inter leges ipſas delinquitur, innocentia nec illic, ubi defenditur, reſervatur. Deterioris conditionis ſub eis eſt Sacerdotium, quàm fuerit ſub Pharaone, qui onera ſua in Eccleſiam rejiciunt: adeòque vectigalium gravamina ſub diſtrictione anathematis hodie proſcripta, olim querendi anſam præbuerunt Chryſoſtomo. Si errantes illi ita

ita ſuos colebant miniſtros, quantâ non condemnatione digni, qui nunc imminuunt, quod ad Sacerdotum pertinet cultum. Eccleſiaſticas cauſas à Laicorum judicio ſubtraxit Ambroſius, cum is judicare debeat, qui nec munere impar ſit, nec jure diſſimili.

De Sponſalibus, & Matrimonio.

AD Connubium viam ſternunt ſponſalia, quæ à civili jure primitùs inducta canonicis quoque firmata ſunt legibus, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiravit ſponſus dilatam, ut ait Auguſtinus. Clandeſtinè contracta, ſi præeunt matrimonio, ſub irritante conciliari ſanctione minimè continentur, quam ad contractum de præſenti evitanda ſemper legum correctio reſtringit appoſitè. Septennium, nullâ ſexus habitâ diſtinctione, ſponſalibus præſcriptum protrahi poterit, non decurtari, ita ut inita intrà infantiam, novo ſecluſo conſenſu, tractu temporis non convaleſcant. Modis ea diſſolvendi alterutrius contrahentis in remotas regiones diſceſſum ſine mora temporis accenſemus, niſi brevi redeundi propoſitum prudentia doceat, indicent conjecturæ.

COram Titio aliquid facere juſſus, non videtur præſente eo feciſſe, niſi is intelligat: quà propter de phyſica tantùm Parochi præſentia gloſſantes verba Tridentini à præſtituto ſibi fine Concilium dimovent; quod cum olim valida, nunc autem irrita declaret clandeſtina conjugia, à miniſterio benedicentem Parochum expungendum eſſe convincet omnes, qui graves eſſe noluerint antiquo Catholico. Si accitus Parochus contrahentium non audiat conſenſum,

ſenſum, etiamſi affectet non audire, vitio nullitatis laborat matrimonium. Cum non benè vertant nuptiæ coactæ, quæ ut invitæ, ita malos habent proventus ex Ambroſ. conjugium inter raptorem, & raptam ſecit irritum libertatis defectus: ultrò tamen abductâ puellâ, vel parentibus invitis, dicendus non eſt raptus, quia rapi, ſine vi pon poteſt Ulpiano teſte.

HOc nunc os ex oſſibus meis, aiens Protoparens, matrimonii indiſſolubilem nexum poſteros docuit: quem thori violatâ fide non dirimi aperta ſunt Apoſtoli verba, quæ toties repetita, vera ſunt, viva ſunt, plana ſunt, teſte Auguſtino. Ratum verò Religionis ingreſſu, conſummatum infidelis conjugis ad fidem acceſſu dominicâ poteſtate diſſolvitur: Deus namque non homo ſeparat, quando divini amoris intuitu matrimonia ſcinduntur, ſi credimus Nicolao Pontifici. Gratiâ boni communis eâdem facultate ſuper rato conjugio donamus Romanum Pontificem, non quia Deo parem effingimus, ſed quia Dei Vicarium veneramur in terris, qui tutiùs reliquis divinam voluntatem pervadit.

De Hæreticis.

ERrare potero, ſed hæreticus non ero, de ſe teſtabatur. Auguſtiuus, cum non ſit hæreſis ſine pertinacia: quâ ſemel detectâ, nec retractatâ, curiæ quis traditur ſæculari, ut evangelicam ſubeat ultionem: Si quis in me non manſerit &c colligent eum, & in ignem conjicient. Gnati quantumvis Catholici, quominùs bona addicantur Fiſco, nequeunt eſſe impedimento, ac temerè carpunt legem, cui aſſiſtunt exempla Scri-

H pturæ.

pluræ: Ad primum tantùm gradum his patere non debent portæ dignitatum, de quibus veretur probabiliùs, ne in parentum mores degenerent; excluſis fœminis, quæ hac in parte maſculino non veniunt nomine. Hæreticum mentalem tantummodo canonicis pœnis non plectit Eccleſia, quæ non judicat de internis: à quibus inſimul eum ſubtrahimus, qui conceptam hæreſim ſigno exprimit æquivoco.

De Sortilegiis.

Futura prædicere Deitatis eſt caracter, ab Idolis exquirente Iſaja: Annuntiate, quæ ventura ſunt, & ſciemus, quia dii eſtis: quem deinde non minùs temerè, quàm ſacrilegè uſurpant, qui Sanctorum, aut Apoſtolorum ſortibus inveſtigant futura; & ægrè diſplicent D. Auguſtino, qui ad negotia ſæcularia propter aliam vitam loquentia divina oracula ſtudent convertere. Quum ſortes in ſinum mittuntur, & à Domino temperantur, eas ut licitas approbat electio Matthiæ: quamquam hoc trahi non debet in exemplum, admonente Hieronymo, multâ reprehenſionem dignam eſſe electionem, in qua ſors intervenit. Finis diverſitas diverſum nomen impoſuit ſortibus, quo inſpecto divinatoriis etiam reprobatis, rejectiſque conſultoriis commendabiles dicimus diviſorias.

De Clerico interdicto miniſtrante.

Nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ eſt cenſura, quam contemni non poſſe inde concludit Chryſoſtomus, quod non homo ligat, ſed Chriſtus, qui nos dominos fecit tanti honoris. Hæc trinam ſpeciem agnoſcit,

ſcit, excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdi-
ctum: quod in locale, ac perſonale ſummariè dividitur, ligatque Epiſcopum, qui pati debet legem, quam ipſe tulit, euaditque irregularis ſacra peragens in Eccleſia vel à ſe interdictâ. Ut corrigat humanum genus, non ut perimat, fertur generale interdictum, ſub quo matrimonium non includi ſuffragio eſt humani generis propagatio. Medela ſimul, & pœna eſt cenſura, proindeque ligat, quantum ſonat; ita ut ab ordine Epiſcopali ſuſpenſus, quæ ab eo difluunt faciat illicitè, cœtera verò obeat impunè.

De Sententia Excommunicationis.

COeteris graviorem pœnam excommunicationem planum facit Auguſtinus, quum qui à Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur. Æternæ mortis damnatio eſt anathema, nec pro levi infligendum crimine, aut illi, qui aliter potuerit corrigi. Timendam verò ſemper ſententiam Epiſcopi, quamvis liget injuſtè, nos monet Urbanus: ſed cum alia ſit ſella terrena, aliud Cœlorum tribunal, ut ſcribit Auguſtinus, ei nequit obeſſe, quem de libro viventium non delet iniqua conſcientia. A fidelium conſortio ita ſeponitur excommunicatus, ut cum eo, ne politica quidem, licita ſit converſatio, cum quo cibum ſumere vetat Apoſtolus, eique aue dicere prohibet Joannes. De non tolerato hæc hodie excipiunt omnes, quamquam, ne culpa commodum pariat, excommunicato minimè prodeſt tolerantia.

LX

SAcra eſt Eccleſiaſtica perſona, in quam violentas manus injiciens, dum graviter oculos divinæ majeſtatis offendit, ut expendit Alexander III., anathematis vinculo ſtringitur meritò. Occultè ne, an publicè lædatur Clericus, ni levitate jocoſâ percuſſio contingat, lædentem non juvat, licet notoria exigatur offenſa, ut evitetur. Idipſum ad ſævientem in clericorum cadavera ordinis decus extendit, ampliat honeſtas. Sacram quoque perſonam dicimus initiatum primâ tonſurâ, qui citra temeritatem tangi nequit, cum diſtinĉto à cœteris ordine, & caraĉtere ſit inſignitus, dummodo à minoribus ordinibus non exulet ratio Sacramenti.

THE-

THESES JURIS CÆSAREI.

De jure naturali, gentium, & civili.

NOn contemnimus medicinam, quæ primas cedit Juriſprudentiæ, cujus præſtantiam divina oſtendunt oracula: qui ad juſtitiam erudiunt, ſtellæ ſunt in perpetuas æternitates. Triplicem hęc legem verſat, naturalem, gentium, & civilem, ut neutri poſtremam demonſtret adverſam, ubi primis addit aliquid. Commodam ſatis profitemur diviſionem, quæ tùm naturæ, cùm gentium jus primævum ſeparat à ſecundario, quâ ſeclusâ inter ſeſe pugnant jura. Si pro alendo partu famem, & ſitim patiuntur volucres, teſte Lactantio, à primævo naturæ jure ſobolis educationem deducens Imperator, alimenta citra dubium ſubaudit: Vim vi repelli poſſe natura clamans cum moderamine inculpatæ tutelæ aggreſſoris cohoneſtat homicidium: quamquem mutationi obnoxium eſſe nequit jus naturæ, quod immobile ſemper manet.

De

De Uſucapionibus, & longi temporis præſcriptionibus.

PRæſcriptionem naturali juri conſonam publicum indicat bonum, quod ipſa promovet. Quoniam verò, quod non eſt ex fide, peccatũ eſt, toto præſcriptionis tempore bona fides exigitur, jure civili hac in parte damnato. Eâdem poſtmodum juridicè expletâ, non officit mala fides, quæ legitimo advenit domino, non præſcribenti. Uſucapionem inter, & prçſcriptionem, quoad rem præſcriptam, vel uſucaptam diſcrimen ponimus; plenum quippe, ac perfectum dominium nunc tribui ab utraque videtur probabilius. Cum ſine poſſeſſione præſcriptio non procedat, ea diutiſſimè quoque detenta non acquiruntur, quæ citra humanum ſunt commercium: cujus conditionis à teſtatore rem vitio partam judicamus, ad quã præſcribendam ſucceſſori univerſali non ſuffragatur ignorantia, in quem ſui auctoris vitium transfunditur.

De Donationibus.

DOnationis originem altiùs repetendam eſſe, quam à jure civili, præſidio eſt Pyræo à Thelemaco facta donatio; licet tot ſolemnitatibus eam adornarit jus civile, ut illi ſaltem formam referat acceptam. Propriè ſumptam donatarius ipſe non expunget à choro contractuum, cui onus imminet alendi donantem egenum. Nihil æquè concordiam humani generis diſſociat, ac diſtrahit, quam hoc vitium, de ingrato animo concludit Seneca: adeòque quamvis retractari nunquam petat donatio intervivos, excipe, ni reſciſſioni cauſam dederit præ aliis ingratus animus; quod vitium donatoris

toris opponent hæredes, quàm ante illius obitum judicium fuerat præparatum.

PLeniſſimam patitur interpretationem, ne corruat, celebrata favore cauſæ piæ, nullâque indiget inſinuatione, quæ aliàs pro ſolidorum 500. vitiatur exceſſu. Quæ teſtandi facultatem vetant leges amittere, tantæ non ſunt, ut ſub univerſali ſigno conceptam infringant donationem jnrejurando firmatam; quod non eſt obligatorium, ubi vergit in animæ diſpendium, ut ſtatuit Innocentius. Ex hac autem donatione duplex enaſcitur vinculum, religionis alterum, alterum juſtitiæ, nec juramento laxato jus auferri poterit domino invito. Ea, quæ mortis cauſâ nuncupatur, dum ultimæ voluntatis ſpirat naturam, non exuit naturam contractus, quo fit, accedente Patris conſenſu filiumfamilias donare poſſe causâ mortis.

De Teſtamentis Ordinandis.

SI Teſtamenti faciendi jus non habent, qui alieno juri ſubjecti ſunt, ut inquit Juſtinianus, filiifamilias queruntur fruſtra, qui de bonis adventitiis, quorum uſusfructus patri non quæritur, etiam patre approbante teſtantur irritè. Illorum pari paſſu incidit diſpotio, qui extremam voluntatem in alterius diſpoſitionem rejiciunt, cum perſonalem poteſtatem, quæ à perſona teſtantis non egreditur, & cum ipſa extinguitur, contra jura velint alteri communicare. In ore duorum, vel trium ſtare omne verbum benè novit Alexander III. qui coram Parocho, & duobus teſtibus ratum habuit, ac ſtabile conditum teſtamentum: exinde tamen non damnantur Principum leges,

quæ

quæ majorem præſcribunt teſtium numerum, ut fraudes caveant, & inſidias.

Quæ ſpecialia ſunt, generali lege non adimi, niſi de illis mentio fiat, expreſſa ſunt jura, quibus ſpectatis cœco teſtanti ad non piam cauſam, in terris etiam Eccleſiæ, non ſuffragatur jus canonicum, cui ſpeciali ſolemnitate nondum abrogatâ ſuccurrit Juſtinianianus. Quinarius teſtium numerus, ut ruri condito ſatis eſt teſtamento, ita graſſante peſte confecto, quando caſus uterque parem arguit mortalium penuriam. Quodſi hæredis inſtitutio caput eſt teſtamenti, hoc nutet, neceſſe eſt, perſonâ incertâ inſtitutâ, quæ quovis demonſtrabili ſigno indicanda eſt ex Ulpiano. Ex certa die, uel ad certum tempus condi nequit teſtamentum, ne mentis perplexitate juridicum eueniat abſurdum, quod pro temporis parte teſtatus, pro parte quis decedat inteſtatus.

De Exhæredatione Liberorum.

Portionem legitimam trahentes unicè à Romano jure prætereunt ſcripturam, in qua, ut naturale debitum, eam petit Filius prodigus: Pater da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit: quamobrem conſuetudine, vel ſtatuto quod ſubſtantiam tolli non poterit, ſi alimentorum ſubſidium, quorum loco ſuffecta eſt legitima, barbara eſt, quæ negat conſuetudo. Pietatem verò non eliminant jura, quæ liberorum exhæredationem permittunt, ubi ingrati animi vitium ſupponunt, quod ventus urens eſt ſiccans fontem miſericordiæ, ut ſcribit Bernardus. Minore parentum in filios, quàm viceversâ, hujuſce criminis cauſas admittere paternus,

quem

quem vincit nullus, nos cogit affectus: exhæredationis tamen cauſas utrinque relatas præciſivè tantùm recenſeri, non taxativè probabilior tuetur opinio.

De Legatis.

ULtimæ voluntatis materiæ legatum congruè attexuit Juſtinianus, quod, cum teſtamentis ſæpiſsime accedat, à ſuo principali nefas erat ſegregare. Donatio quædam à defuncto relicta ab hærede præſtanda deſcriptum legatum legatario rem arripienti, hæreditate non aditâ, jacturam non parit, cum bona nullius accipiat: Vivendum non eſse juxta legem ſæculi, non ut carperet civilia jura, dixerat Gregorius, quæ, dum propriæ, aut alienæ rei legatum propugnant, ab æquitate minimè diſcrepant: ſed ut rei alienæ detentionem invito domino reprobaret, quam recentia quoq; damnant jura. Voluntati legatarii committi poſſe legatum ſua eſt in cauſâ libertas, quâ vel agnoſcere legatum poterit, vel repudiare: ſed extraneæ diſpoſitioni collatum ad paria judicandum erit cum teſtamento. Hæredis ſecluſo ſacto, & culpâ ſemotâ res in ſpecie legata perit legatario; ſin autem in genere, periculum vergit in damnum hæredis.

De Hæreditatibus, quæ ab inteſtato deferuntur.

DEſcendentium prior eſt ordo ſuccedendi, quoniam quæ noſtra ſunt, liberis noſtris ex voto paramus: hinc mares, & fœminæ vocantur indiſtinctè, illorum reprobatâ lege, quos naturæ accuſatores notavit Juſtinianus. In pari gradu ſuccedunt in capita, niſi ſucceſſioni in ſtirpes adaperiat aditum repræſentatio, quæ in linea deſcendentium vindicat ſibi locum in infinitum. Ut

 au-

autem naturæ ſimul, ac parentum votum ad hæreditatem vocat liberos, ita parentes ad bona liberorum ratio miſerationis admittit; cum quibus pleno jure ſuccedunt collaterales, qui portione liberâ relevandi ſunt, cum onerentur ſucceſſione parentum. Quoniam pares pariter admittendos eſſe, & in capita, ſtatuit Imperator, in capita ſucceſſio fiet, non in ſtirpes, ubi ex fratre præmortuo fratrum, & ſororum filii tantùm ſuperſunt.

De Verborum Obligationibus.

A Civili jure profluit omninò ſtipulationis contractus, à quo prævia interrogatio, congruaque præſcripta eſt reſponſio; etſi veterem per eadem verba reſponſionem ſuppleat hodie verborum æquipollentia. Ordine præpoſtero ſtipulatio concepta, vel nutibus expreſſà, vi prorsus deſtituitur, quæ promiſſionis indubitatum exquirit animum. Sub conditione verò poteſtativa negativè celebrata ſtipulantis expoſcit obitum, ut purificetur: nec patet aditus cautioni mutianæ, quam ultimæ voluntatis gratiâ inductam ad contractum extendere probabilior refragatur opinio. Inter ſtipulationem ſi voluero, & cum voluero, modum inducendæ conditionis, non imponendæ obligationis attendens Juriſconſultus dixit mertiò diſcrimen nullum verſari; cum reverà non à prima, ſed à ſecunda dimanet obligatio.

De Actionibus.

JUs perſequendi in judicio, quod nobis debetur, actionem definiens Juſtinianus utramque complectitur, tàm realem, quàm perſonalem, cujus etiam præmonſtrat naturam, antequam detegat proprietates. Legitimum, ſeu veſtitum pactum actio ſemper præſupponit,

quam

quam à nudo neutro jure produci cauſa eſt præſumptio jocoſæ voluntatis: exinde tamen Ethnicorum non aſſentimur delirio nullam propugnantium extare legem, quæ ad præſtandum, quod promittimus, obliget; quoniam obſtringentem volumus naturalem, quæ imploràto Judicis officio, non autem actione datâ impleatur. In fraudem creditorum bonorum facta diſtractio actione pauliană revocatur tàm animi, quàm eventus concurrente fraude. Non fraudantur autem creditores, cum quid non acquiritur, ſed cum quid de bonis diminuitur, inquit Julianus; adeòque qui repudiavit hæreditatem, ſive legitimam, ſive teſtamentariă locum non facit huic edicto.

DOtis cauſam publicam eſſe, ac favorabilem optimè novit Juſtinianus, qui tacitâ hypothecâ, & prælatione adverſus mariti creditores præmunivit uxores: ſed tacitam dumtaxat hypothecam habentibus tutius erit eas præferre, ne fraudibus vacent. Ea, quæ familiæ erciſcundæ nuncupatur, nec fratri majori diviſionem, nec minori tribuit electionem, quando quem ſors prætulit, is quidem habere debet poteſtatem eligendi, ni res ſingulas ſingulis hæredibus valeat Judex adjudicare. Furta domeſtica, ſi leviora, publicè vindicanda non ſunt, ait Marcellus: Placuit tamen Ulpiano, eum, qui filio, vel uxori opem fert furtum facientibus, furti teneri, quamquam ipſi actione furti à parentibus, aut marito, conveniri non poſſunt.

De Judiciis.

JUdiciorum baſes eſt citatio, quâ omiſsâ nullius momenti eſt lata ſententia: qui inauditam damnant cauſam præter invidiam iniquitatis merebuntur ſuſpicionem,

nem, nolentes audire, quod audientes damnare non poſſunt, ut expendit Tertullianus; proindeque nec à ſuprema quacumque poteſtate tolli poterit, ac remitti, ſive de criminali, ſive de civili judicio ſermo ſit, abſolutè loquente D.Gregorio: Nos contra inauditam partem non poſſumus aliquid definire, Actus legitimus trium perſonarum Judicis, actoris & Rei rectè definitur judicium, in quo conſtitutus procurator, ne agat nulliter, mandati fines ſtudebit cuſtodire. Pluribus in uno negotio conſtitutis ſine clauſula in ſolidum alteruter ad expediendum negotium non ſufficit. In criminali judicio defenſionem Rei per procuratorem eludendæ ſententiæ periculum effecit inutilem.

ANte juris compoſitionem voluntate judicum magis, quàm legitimâ auctoritate lites dirimi, condoluit Imperator, cum functionem Judicis egreſſi ſe facerent legislatores, reclamante Philoſopho. At hodie ſtatutis legibus cavere quis debet, nec aliter judicet, quàm legibus, & moribus proditum eſt, ait Juſtinianus. Quapropter ad ſolidum eæ perſonæ damnantur irritè; quæ donatæ ſunt privilegio, ne cogantur ultra vires, quibus fratres legitimos, & naturales ficta ſociorum accenſet fraternitas, & amicitia, quæ tam felix dari non poteſt, ut imitetur fraternitatem, ut prodit Quintilianus. Quæcumque feratur ſententia, eam privato judicio nefas eſt pronunciare: nec legum prævenire convenit inducias, ſi ad pœnitendum properat, qui citò judicat, & in judicio criminoſa eſt celeritas, atteſtante Seneca.

Diſputabuntur, Præſide Domino FRANCISCO ANGELO de ANGELIS Juris Canonici, ac Civilis Profeſſore.

Digitized by Google

005646795

Digitized by Google

Digitized by Google

Google